SPRAWOZDANIA SZKOLNE
Książnica
Kopernikańska
w Toruniu
SCHULPROGRAMME

10.

Programm

des

Gymnasiums der Stadt Pyritz,

womit

zu der öffentlichen Prüfung am 23. März

ergebenst einladet

Dr. Adolf Zinzow,
Director.

Inhalt:

1. De Pomeranorum regione et gente auctore M. Petro Chelopoeo Pyricensi a. 1574. Pars I cum commentatione de antiquissimis rerum Pomeranicarum scriptoribus.
2. Schulnachrichten. Beides vom Director.

Pyritz, 1869.
Druck von E. Giese.

In

MEMORIAM

evangelicae doctrinae

ante hos trecentos et quinquaginta annos

Pomeranis primum Pyritiae

A JOHANNE KNIPSTROVIO

praedicatae.

Memoriam rerum a maioribus bene gestarum pio gratoque animo recolere cum omnibus hominibus laudabile et honestum sit, tum ad mores emendandos virtutumque exemplis conformandos maxime pertinet. Quid? quod morti fugaeque temporum, cui quantum in nobis est omnes debemur, nos nostraque ita optime eripere possumus, ut divino numine per annorum continuationem et rerum quoddam vinculum, quidquid ingenii morumque cultura ipsi valeamus, et a maioribus ad nos redundasse et a nobis aliquando heredidate ad posteros transiturum esse credamus. Non igitur nobis mortui sunt, sed vivunt, qui olim de patria et de ecclesia nostra bene meriti sunt. Haec etiam fuit causa, cur quo ex tempore novum hoc gymnasium Pyritiae institutum est, quotannis et Ottonis, episcopi Bambergensis, laudem, qui a. 1124 Pomeranos primum hac in urbe sacro baptismatis fonte initiavit, et I. Knipstrovii memoriam, qui ante hos ipsos trecentos et quinquaginta annos a. 1518 iterum primum hac in urbe Pomeranis restitutam evangelicae fidei doctrinam praedicavit, festo die rite prosecuti simus. Cum autem more maiorum bene institutum sit, ut per singulos annos commentatio qūaedam, quae iuventuti et civitati fere conveniat, lectionum praeterito anno habitarum indici praemittatur, omnium animos hoc anno eo optime ad miram illam bis huic urbi oblatam dei gratiam advertere posse videbamur, ut chronicum Pomeranicum a. 1574 a. M. Petro Chelopoco Pyricensi conscriptum, quantum per angustiores huius libelli terminos licet, in lucem proferremus. Quamquam haud sane infitiamur, auctorem plurimis illius aetatis Pomeranicarum rerum scriptoribus inferiorem sua non tam ex novis et reconditis fontibus hausisse, quam quae tacite saepe ad verbum ex aliorum libris collegit, partim aucta, partim in epitomen coacta meliore ordine exposuisse, non tamen omnis sua laus Chelopoco deroganda est. Quod quo facilius intelligatur, paullo accuratius qua ratione studium res Pomeranicas conscribendi illo tempore ortum et excultum sit, nobis explicandum videtur.

1. De antiquissimis rerum Pomeranicarum scriptoribus.

Per mediam aetatem inter Polonos quidem, Pomeranorum vicinos et fere cognatos, ut de Danorum et Normannorum mari baltico circumiacentium copia literarum et historiarum taceamus, praeter alios maxime Martinus Gallus c. a. 1115, Vincentius Kadlubko a. 1204, Iohannes Dlugosc a. 1480, ab altera parte inter Germanos post Adamum Bremensem c. a. 1075, parentem fere huius historiae, Helmoldus, presbyter Bosoviensis, a. 1170 cumArnoldo Lubecensi a. 1210, maximeque Bambergae post Ekkehardum, abbatem Uragiensem, a. 1125 cum Conrado Urspergensi a. 1229 omnes, qui vitam Ottonis, Pomeranorum apostoli, scripserunt, ut Ebbo, quae ex Udalrico diacono a. 1158, et Herbordus, dialogi scriptor, quae ex Tiemonis et Sefridi ore audierat, et anonymus Prieflingensis fere a. 1189 alii, ex monasteriis rerum scriptores exorti, in suis historiis occasione data etiam Pomeranicarum rerum mentionem fecerunt. Apud ipsos tamen Pomeranos, quae eorum erat ingenii quaedam tarditas et taciturnitas, illud studium diu iacebat. Si enim quae passim vel in monachorum libris vel in ducum et civitatum Pomeraniae archivis adnotata essent, exceperis, nemo ante a. 1500 in ipsa Po-

merania repertus est scriptor, qui res a Pomeranis olim non sine laude gestas memoriae tradiderit. Sed exeunte media aetate iam tempus aderat, quo cum apud alias gentes, tum per totam fere Germaniam pristina infantia quadam et servitute ingenii humani excussa homines nostri ad ipsam veritatem divinam attendere, quae causae rationesque rerum essent explorare, in remotas incognitasque terrae regiones inquirere, summo denique studio memoriam rerum ante gestarum repetere coeperunt. Quibus causis factum est, ut prae ceteris etiam cives inferioris Germaniae, imprimis in iis urbibus, quae potentissimo Hansae foederi addictae essent, cum opibus aucti et principum liberalitate vel indulgentia multis immunitatibus privilegiisque elati libertatis spiritum assumpsissent, historiis non iam latina, sed sua lingua conscribendis res gestas persequi studerent. Sed cum haec historiarum primordia in archivis et bibliothecis fere abscondita essent, renascentibus tunc veterum linguarum et literarum studiis primum in Italia, non multo post etiam in Germania viri docti nihil antiquius habuerunt, quam ut ad veterum scriptorum similitudinem res vel a maioribus gestas vel inde a mundi origine repetitas non minore eruditione quam orationis elegantia conscriberent. Quin etiam ipsi principes et iisdem studiis commoti et maiorum suamque laudem appetentes ubique fere imperiorum suorum res et antiquitates viris doctis explorandas et enarrandas tradiderunt.[1]) Neque defuerunt, in quibus omnes illae scribendi rationes concurrerent. Sed hoc loco de iis tantum videamus, quorum libris Chelopoeus postea usus est.

Albertus Krantz Hamburgi ex honesta et antiqua familia oriundus postquam optimarum artium disciplinis institutus est, in summum patriae urbis collegium ecclesiasticum receptus est. Iam vero non solum in theologiae et iurisprudentiae studio tantos progressus fecit, ut summa honoris insignia in utraque disciplina adipisceretur, sed etiam c. a. 1480 Rostochii in univ. lit. professoris theol. et philos. munere functus tanto antiquitatis et historiarum studio flagrabat, ut praeter chronica regnorum aquilonarium, Daniae, Sueciae, Nervegiae, et Poloniae primum Saxoniam 13 libris, deinde Vandaliam 14 libris conscriberet.[2]) At ipsum audiamus de Pomeranis querentem: Vandal. VII., 17 serie ducum Pomeranorum memorata, praeclara, ait, principum facinora ad se non pervenisse requirentem ea non minima diligentia; VIII. 26 Nullas ducum Pomeranorum res gestas, quae plurimae et quidem clarae fuere, commemoramus, quod postulantibus et requirentibus nobis nullae sunt allatae ab eius regionis hominibus antiquitates. Si nobis invident, ipsi felicius exsequantur maiorum suorum clara facinora annalibus tradita: si tamen ante operis editionem ad nos pervenerint, propitio deo locum suum assequentur — quem spe frustrata non acceperunt.

Krantzium proxime excepit Nicolaus Mareschalk Thuringus v. ut mavult dici Thurius, qui postquam primum Erfurti philosophiae et iuris consultus, deinde Vitembergae in universitate modo instituta scholas habuit, a. 1507 Rostochium vocatus muneri professoris historiarum iuris civilis et canonici praecrat. Quo loco cum doctrina et usu rerum summam auctoritatem sibi conciliasset, a. 1521 Henrici, ducis Megapolensis antiquitatum amantissimi,

---

[1]) Optime hoc illustratur e. g. verbis a Melanthone a. 1555 ad Ducem Pom. Ioh. Fridericum scriptis: Hortari non desinam, ut ad lectionem doctrinae divinae adiungas historias: quod et avus tuus maternus faciebat. Et fuerunt apud Palatinum Philippum, abavum tuum, — eodem tempore viri docti Rod. Agricola, Ioa. Capnio et Ioa. Dalburgius. Hos cum saepe audiret Princeps ordine recitantes seriem regnorum Chaldaeorum, Persarum, Graecorum et Romanorum res gestas et tempora distribuentes: petivit sibi ab eis componi Epitomen Monarchiarum et Mundi historiam ordine distribui. Id opus ex Graecis et Latinis scriptoribus collectum gratissimum fuit abavo tuo. Mel. op. VIII. p. 405.

[2]) Cum ante ipsam mortem 7 die Dec. 1517 de Luthero audivisset, male, non cycni instar Apollinis, vaticinatus est: Vera quidem dicis, bone frater, sed nihil efficies; vade igitur in cellam tuam et dic: Miserere mei, Deus.

hortatu maiorum ipsius vitam a prima origine repetitam septem libris annalium Herulorum ac Vandalorum conscripsit et officina typographica in sua domo suis sumptibus apparata edidit. Sed cum oratio propter inspersas graecas voces et doctrinae sollertiam nimia eruditione et obscuritate laboraret, Valentinus Stoientin Pomeranus, vir summo ingenio et consilio insignis, ei auctor fuit, ut libro commentariolum ad obscuriores illas voces declarandas adiiceret. Qua de re ipse narrat[3]): Cum ex Vangionum urbe (Wormatia), in qua Carolus ille noster, Caesar Romanus, aestate superiore comitia in principum delectu amplissimo agebat, tu, Valentine doctissime, una cum duce Bogsclavo, principe Sidinorum illustri et inter Germanos paene omnes altero veluti Hectore, Suerinum redires forteque ibi fortasse Herulorum annales offenderes, vehementer placere eos tibi, ni fallor, praedicasti ac magis etiam placituros, si quae vel in eis recondita vel subobscura commentariolo illustrarentur. Tamen miramur, qua eruditionis licentia in rebus enarrandis illustrandisque et ipse usus sit et aliis imposuerit. Iam vero eadem in urbe, ubi Krantzius scholas habuit et a. 1517 Vandaliae suae editionem principem emisit, post Nicolaum Mareschalk etiam Dav. Chytraeus, qui Saxoniam continuavit, doctrinae historicae laude florebat.

Sed omnia illa studia rerum perscribendarum apud viros doctos et apud principes admodum aucta sunt, postquam caligine, quae ante et fidei divinae et menti humanae obducta fuerat, sublata nostrorum hominum animi ad uberrimum et liquidissimum scripturae sacrae fontem revocati evangelicae doctrinae veritatem amplexi sunt. Atque tunc quidem prae ceteris literarum universitatibus maxime Vitemberga non solum verae Christi doctrinae per omnes fere terras propagatae alma mater et nutrix quaedam exstitit, sed etiam cum studiorum, quae ad humanitatem pertinent, tum historicae artis optima fere schola habita est. Cum enim Lutherus, qui ipse chronica composuit, a. 1537 suis auspiciis librum quendam historicum de nominibus Germanicis edendum curavit, in praefatione Galeatii Capellae historiae addita a. 1538, quae eius divini fere ingenii sagacitas erat, acerrime de historiarum utilitate et auctoritate iudicasset, Phil. Melanchthon tanto earum amore et studio incensus erat, ut non solum chronicon Urspergense a. 1536 et 39, Helmoldi a. 1538 ederet, Carionis a. 1532 germanice retexeret et continuaret, annales certe inde ab a. 1552 ipse conscriberet atque in res et antiquitates cum aliarum gentium, tum Germanorum sollerter inquireret, sed etiam optimis praeceptis historiae legendae et conscribendae traditis historiarum studium et principibus et discipulis diligentissime commendaret.

Quae historica studia cum ita undique iam Pomeranorum finibus appropinquassent, fieri non potuit, quin magis magisque in ipsam Pomeraniam penetrarent. Quid? quod Benedictus, episcopus Caminensis, iam exeunte quinto decimo saeculo Andream, abbatem coenobio St. Michaelis Bambergensi praefectum, monuisse fertur, ut novam ex Ebbonis et Herbordi libris contextam vitam St. Ottonis conscriberet: quae vita a. 1487 ipsi dedicata, sed demum duobus saeculis post a. 1681 Iaschei opera edita est. Quamquam primordia artis Pomeranorum historicae eodem fere ex fonte, unde illo tempore uberrimus non solum evangelicae, sed etiam literarum doctrinae amnis in Pomeraniam influxit, Vitemberga repetenda sunt. Constat enim, Friedericum illum Sapientem, Saxoniae electorem, nescio an aliorum ducum et ipsius imperatoris Maximiliani[4]) exemplo commotum, Spalatino suo mandasse, ut res a Saxonibus

[3]) In epistola dedicatoria commentariolo ex musaeo Rostochiano pridie kalendas Januarias a. 1521 praemissa.

[4]) Ph. Melanchthon in praef. ad chronicon Ursperg. scribit: Stabium audivi narrantem Imperatoris Maximiliani consilium, quem constituisse aiebat certis hominibus doctis mandata dare, ut collectis undique Germanicis chronicis, quia alius alia annotasset ex fragmentis illis, Germanicam historiam integram, quantum fieri posset, componerent. Sed inceptum postea omisit.

gestas explorandas et chronico quodam enarrandas curaret, atque cum ad materiam Saxonicae historiae etiam ex Pomerania colligendam a. 1517 literis a. Bugislao X., Pomeranorum duce, petiisset, ut si quae historiae monumenta apud Pomeranos exstarent, sibi mitteret, Dr. Valentinus Stoientin, doctissimus ille Bugislai consiliarius, non invenit, cui mandatum veteres literas per has regiones exquirendi traderet, magis idoneum quam Iohannem Bugenhagen, qui tunc Treptoviensis scholae rectoris et Belbucensium monachorum lectoris munere cum magna doctrinae laude fungebatur. Aestate igitur illius anni a duce Rugenwaldiam arcessitus cum coram iussus esset, omnes libros, quibus antiquitates Pomeraniae continerentur, perquirere, diligentissime omnibus locis vetera historiae monumenta investigare studuit[5]). Sed pauca invenit eaque indigna, quae in Saxoniam mitterentur; quare eodem tempore factum videtur, ut ne Krantzio quidem requirenti annales ex Pomerania mitti possent. Ne tamen omnem spem de sua opera conceptam falleret, Bugenhagius quae ipse passim de rebus Pomeranicis velut materiam futuri cuiusdam operis ex scriptis tabulisque monachorum aliisque historiae reliquiis adnotaverat, vel ex antiquis illis Germanorum Slavorum Polonorum chronicis abbatis Urspergensis, Helmoldi, Vincentii Kadlubko, ex Kitscheri tragicomoedia aliis libris collegerat, postquam in monasterium Belbucense rediit, monente Stoientino in corpus quoddam historiae contexuit, ut Maio mense a. 1518 opus absolutum cum ducibus et dominis suis dedicare, tum doctissimo et benignissimo suo amico Valentino Stoientin inscribere posset. Ipse testatur, se in historia conscribenda non sermonis elegantiam, sed usque ad capitis internecium ex tam pauculis, minutis et saepe contrariis reliquiis, nihil adiutum, ut aliunde sibi quippiam historiae mitteretur, maxime rerum ordinem spectasse. Exemplum enim antiquorum scriptorum secutus, quibus maxime curae fuisset, insignia maiorum facta posteris tradere, ut res bonas imitarentur, malas fugerent, petit a principibus, quamvis ne et sua suis Pomeranis deesset historia ultra vires opus aggressus sit, ut suam Pomeraniam cunabulis quidem vix egressam suscipiant, foveant, defendant, atque addit: „Invenietur quandoque, qui eam et robustiorem faciat et augustiorem.“ Primo igitur libro, quem ordinem cum alii, tum Chelopoeus fere secuti sunt, de Pomeranorum antiquitate, altero de Pomeranorum et Rugianorum ad Christum conversione, tertio de principum rebus gestis, quarto denique libro, ut posteriores quae addere vellent non tribus illis, sed huic insererent, obiter res quasdam in Pomerania gestas genealogia ducum Pomeranorum adiuncta perscribit. Diligenter autem et studiose atque magna cura et sagacitate fontibus, ad quos quidem aditus ei patebat, usus, quamvis rudi nonnunquam et incondita voce scripserit, tamen suo iure fundamenta historiae Pomeranicae rite iecisse dicendus est. Quare sane mireris, quod tantum tanti viri historiae monumentum, quamquam iterum iterumque transcriptum vel in epitomen contractum in multorum manibus erat, demum a. 1728 I. H. Balthasarii opera in lucem prodiit.

Sed quod de successore bene speraverat, breviore tempore eventum habuit. Iam enim aderat, qui Bugenhagii vestigia secutus rem ab eo inchoatam summo ingenio et assiduo labore ita perfecit, ut laudem principis omnium Pomeraniae historicorum meruerit. Vix igitur Bugenhagius, quod ipse voluit, aliis haud contemnendam de Pomeranorum principibus et rebus scribendi ansam praebuerat, cum inter viros doctos, qui principibus aut a consiliis essent aut voluntatem et studium probare vellent, certamen quoddem res maiorum explorandi et conscribendi subito exstitisse videbatur. Inter omnes tamen unus principem locum

[5]) Paullo aliter, sed parum accurate rem Petr. Vincentius in vita Bugenhagii Mel. op. XII., 298 narrat.

Thomas Kantzovius obtinet. Incunte quidem[6]) sexto decimo saeculo c. a. 1507 Sundii natus cum in universitate lit. Rostochiensi a. 1525 ad literarum studia theologica incumbere coepisset, fieri potuit, ut exemplo Krantzii et Mareschalki, quem tres fere menses ante mortem (d. 16. Iul. 1525) audire ei licuit, et ipse ad historias conscribendas adverteretur. Tribus annis post literis fere excultus admodum adolescentulus in curiam ducum Pomeraniae Barnimi IX. et Georgii I. receptus est atque secretarii et clerici munere functus primum Sedini, inde ab a. 1532 ducis Philippi I. curiae additus Wolgastiae fide sua et dexteritate magnam dominorum gratiam et liberalitatem sibi paravit. Vocatur igitur in diplomatibus[7]) literisque principum, quibus praebendae ei traduntur, adolescens discretus, circumspectus, honorabilis, et cum vel a. 1533 ab ipso Erasmo, Caminensi episcopo, ob pietatem sincere dilectus, a. 1534 a Iohanne Lutke, ecclesiae Suerinensis scholastico et canonico, vir commendabilis et clericus dicatur, facile inde coniicias, Kantzovium tunc palam certe non iam doctrinam evangelicam amplexum esse. Haud scio an Krantzii Mareschalki Bugenhagii exemplo et patriae amore adductus cum in bibliothecis et archivis principum, maxime postquam in divisione imperii Pomeranici a. 1532 literae et diplomata omnia in turri Wolgastensi relicta sunt, in curia Philippi iis ordinandis et transcribendis occupatus aditum ad multos et novos historiae fontes patefactum haberet et in munere suo mediis fere rebus et intimis consiliis principum imbutus res gestas optime novisset et perspiceret, multo labore et studio memoriam rerum Pomeranicarum conquirendam sibi sumpsit atque, ut erat Sundensis, non latina, sed Pomeranica lingua, quo facilius ab aequalibus legeretur et intelligeretur, primum historiam sui temporis a Bugislai X. vita et factis repetitam enarrare aggressus est. Qui enim ad ea, quae ipse (apud Boehmerum p. 118 in media contexta historia) praefatus est, animum attenderit, dubitare non potest, quin hanc posteriorem chronici partem primum composuerit. Scribit igitur loco modo allato: Cum non solum iucundum, sed iis qui rebus publicis administrandis praesint etiam utile sit, veteres historias cognitas habere, ut in omnibus casibus exempla, quibus suas res accommodent, sibi proponere possint, ea quae vel ex senioribus hac in terra audivi, vel alio modo accepi et quae ipse his temporibus vidi, conscribebam, non quo facultas ingenii huic operi par sit, sed ut alii, quibus maior et rerum scientia et vis ingenii insit, hac mea qualicunque opera ad historiam melius enarrandam excitentur. — Quaerentibus autem, quo tempore K. hanc nobis sine dubio maxime acceptam et memorabilem historiam conscripserit, duae occurrunt rationes, cur hanc partem biennio fere, annis 1535 et 36, absolutam esse statuamus: una, quod ita scribere et narrare tantum potuit, postquam exeunte a. 1534 dominorum exemplum ex animi sententia secutus evangelicae doctrinae palam se tradidit, altera, quod ipsa rerum enarratio annum 1536 non excedit. Cum autem res gravissimas sui temporis satis ingenue et dilucide enarrasset vivisque coloribus descripsisset, quanto magis monasteriis tunc vel clausis vel sublatis vetera monachorum scripta in ducum archiva transferebantur, tanto maiore historiae studio incensus iam ad maius et amplius opus perficiendum sese accinxit et historiam Pomeraniae inde a rerum primordiis repetitam usque ad sua tempora deducere coepit. Ita factum est, ut materia summo studio et labore, quod ex collectaneis nobis servatis videre licet, congesta rerum continuationem item Pomeranica lingua vix altero fere biennio a. 1537 et 8 conscriberet et posteriori priorem, sed minus elaboratam et completam partem (apud B. p. 1—118 cum altera coagmentatam) adderet. Hanc veram esse originem vetustioris illius Kantzovii chronici, quod egregia Boehmeri opera tandem aliquando a. 1835 publici iuris factum est, etiam voluminis titulo,

[6]) Cf. Boehmeri exquisitam praef. Kantz. chronici Pomeranici editioni praemissam p. 34. [7]) Vid. B. p. 36.

cui recte annus 1538 Klempzenii manu inscriptus est, satis confirmatur. Verbis autem, quae praeterea auctor eodem loco ipse addidit, optime significat, his scriptis non iam ipsum chronicum, quod meditabatur et animo informatum habebat, perfectum et absolutum, sed viam quandam rectam ad illud chronicum sibi stratam videri.

Iam cum duces Pomeraniae veritati et ipsi obsecuti ad tumultus plebis praevertendos extremo a. 1534 in conventu Treptoviensi reformationem evangelicam per totam Pomeraniam instituere decrevissent, Ioh. Bugenhagius Vitemberga, ubi inde ab a. 1521 ad ipsum fontem divinam doctrinam primum imbiberat, deinde cum discentibus communicaverat, a ducibus arcessitus is fuit, qui novam ecclesiam in Pomerania constitueret et visitationibus illis per omnes fere urbes factis in iustum ordinem redigeret. Sed nemo ignorat, quanta omnium rerum commutatio evangelica doctrina recepta etiam apud Pomeranos exorta sit, ut illis hominibus, praesertim viris doctis et clericis vetere doctrina olim imbutis, haud facile esset, pristinam consuetudinem vivendi et sentiendi rationem exuere et velut ad puerilem institutionem redeuntes ex scriptura sacra addiscere, quae nescirent. Quum praeterea Thomas K. illo tempore in notitiam et fortasse in familiaritatem quandam Bugenhagii venisset, fieri non potuit, quin cum mentem novae religionis praeceptis parum excultam esse, tum opus suum historicum neque dicendi genere neque rerum copia neque iudicandi facultate recentioris aetatis arti et doctrinae satisfacere probe intelligeret. Quo studiosius igitur materiam historiae exploravit et congessit, eo magis sibi persuasit, et ad doctrinam evangelicam et ad artem historicam recte excolendam et ad rerum librorumque maiorem copiam conquirendam atque explorandam novis studiis opus esse. Haec videtur causa fuisse, cur aliorum exemplum secutus et fortasse Bugenhagio auctore, quamquam plus 30 annos natus, Vitembergam ad literarum studia recolenda proficisceretur. Certe constat, eum a. 1538 Phil. Melanchthone rectore Kalendis Maiis in scholasticorum numerum inscriptum per quadriennium ibi studiis se dedisse et, quod praeter literas ad amicos in Pomeraniam missas etiam epistola dedicatoria, quam infra afferemus, satis docet, historia sua Pomeranica conscribenda summo studio occupatum fuisse. Vitembergae autem Kantzovius scholis et praeceptis Lutheri, quem patris loco veneratur, Melanthonis, quem ipse praeceptorem suum nuncupat, Bugenhagii, quem summis effert laudibus, maxime usus primum vidit, nescio an ipsius Melanthonis, qui a. 1532 Carionis chronicum Germanice retexuerat, exemplo edoctus, etiam suum librum, quem antea Pomeranice conscripserat, non modo totum retractandum, sed etiam in Germanicam linguam quasi convertendum esse,[8]) ut extra Pomeranorum fines per totam Germaniam intelligi posset. Quamquam enim etiam in Ducum Pomer. curia iam illa aetate in literis quidem et monumentis magis quam in sermone, atque in virorum doctorum et externorum praedicatorum concionibus et scriptis lingua Germanica in usu esse coeperat, vix tamen Sundensi et Pomerano viro in ipsa Pomerania in mentem venire potuit, quod Vitembergae in Saxonia degenti, unde tunc potissimum Lutheri scriptis species quasi Germanicae linguae in communem totius Germaniae usum diffundebatur, ultro occurrit. Prima igitur Kantzovii opera statim inde ab a. 1538 in eo posita erat, ut chronicum suum ita conversum et, cum iam librorum copia et doctrina in lit. universitate egregie instructus esset, omnibus partibus copiosius elaboratum transcriberet. Ex reliquiis autem eius historiae et collectaneis illis, quae aetatem tulerunt, manifesto videre possumus, cum quanto labore studioque singulas operis sui partes etiam atque etiam retractaverit, tum quomodo primum Germanice antiquiorem partem 11 libris usque ad Bugislai X.

[8]) Hoc certis quibusdam causis factum esse ipse dicit in Pomerania loco ex collectaneis Kantzovii desumpto ap. Boehm. p. 279.

obitum pertinentem, deinde ad Krantzii Vandaliae similitudinem universum opus copiosius denuo retextum 14 libris[9]) concinnaverit, priusquam veterum scriptorum scientia magis imbutus a. 1540 denique, quid verius de antiquissimis Pomeraniae incolis statuendum esset, sibi invenisse videbatur. Cum igitur, ut tunc tempora et historiae studia erant, incredibili fere veterum scriptorum studio et scientia munitus perspexisset, Krantzium et Mareschalkum, quorum sententiam in tribus illis chronici sui retractationibus quibusdam secutus erat, non recte vetustissimos Pomeraniae incolas Slavos dixisse,[10]) cum Germani fuissent, de integro historiae suae filum retexuit et postquam summa diligentia res olim a Germanicis illis Pomeraniae incolis etiam contra Romanos et in Italia gestas, quantum tunc fieri potuit, optime conscripsit, tandem aliquando historiam suam pro maiore fidei, iudicii, doctrinae maturitate in rerum et verborum compositione satis emendatam atque tunc demum ad Bugenhagii exemplum et quatuor libris distributam et Pomeraniam dictam fere absolvit. Rem vero satis complicatam ita optime expediri, etiam compositionis tempore commode probatur. Cum enim duae illae superiores chronici Germanicae editiones in annos 1538—40 incidant, Kantzovii Pomeraniam quatuor libris compositam extremo biennio a. 1540—2 conscriptam esse cum anno ipso 1540 in codicibus eius adscripto, tum iis, quae sequuntur, satis confirmatur. Nam tum demum, postquam opus ad finem perduxit, fieri potuit, ut Kantzovius epistolam dedicatoriam ad ducem Philippum scriberet, qua hanc ipsam Pomeraniam, cui praemissa est, quatuor libris compositam atque, ne de vivo duce quid adiiceretur, usque ad a. 1532 pertinentem, domino et principi his verbis commendat: Cum superiores scriptores res Pomeranorum neque universas et latine scripsissent, equidem quo ex tempore Tuae Celsitudini in archivis et tabulario apparebam, maxime studio veterum rerum explorandarum delectatus hoc chronicum in Tuum honorem et in patriae usum conscribebam. Quamquam mihi conscius sum, rem non ea qua decebat arte peractam esse, si quidem historias rebus et temporibus diligenter dispositas non ad gratiam, quod facere solent, sed ad veritatem contexui, nihilo secius eos, qui has res in posterum scripturi sint, si quid veri et certi proferre velint, mea opera non carere posse confido. Rem peractam autem grato animo maxime Nicolao a Klempzen debeo, qui mihi et consilio et ope, ut has veteres historias ex monumentis literisque in Tua bibliotheca servatis conscriberem, semper aderat et, si quando vires laborum molestia confectae me deficerent, ut opus pro virili parte absolverem, diligenter me admonuit. Quod quo melius mihi cederet, non parvum studium neque exiguos sumptus impendi, ut veri inveniendi causa etiam in vicina terra res quasdam explorarem. Peto igitur a T. C., ut quae bene aut male a maioribus gesta sint, benevolo et propitio animo accipias atque diligentiam meam huic operi impensam Tibi probatam habeas. Nam persuasum mihi est, si Tibi id probatum erit, fore ut sine invidia etiam pii viri operi faveant neque, si quid aut peccatum aut omissum sit, crimini mihi vertant. — Quibus verbis cum studium et voluntas scriptoris satis appareant, summopere dolendum est, quod Kantzovius, quo tempore iamiam in eo erat, ut opus fere absolutum et principi Philippo traderetur et prelo subiiceretur, gravissimo morbo implicitus, postquam Vitemberga Stettinum portatus d. 25. Sept. a. 1542 quinque fere et triginta annos natus supremum diem obiit, morte impeditus est, quominus extremi voti compos fieret. Recte igitur, haud dubie ipsius Nicolai a Klempzen manu, in codice Pomeraniae epistolae illi dedicatoriae superscriptum legimus, Kantzovium iam apud animum constituisse, hunc librum, cui epistola illa praeposita

[9]) Chronicum illud, quod ipsius auctoris manu 11 libris conscriptum superest, B. unum verum Kantzovii Germanicum opus existimat, cum alterum illud Kosegartii opera editum parum incorrupta forma servatum sit. [10]) Cf. Boehm. p. 278.

est, i. e. Pomeraniam quatuor libris conscriptam, duci Philippo Stettini, qua in urbe ante ipsam mortem degebat, dedicare et inscribere, deinde etiam prelo subiicere, nisi deus filum vitae praecidisset.

At dixerit quispiam: Si genuina Kantzovii Pomerania iam tribus saeculis auctoris nomine et auctoritate per omnes fere Europae terras divulgata et plus viginti codicibus transcripta procul dubio aetatem tulit, quomodo fieri potuit, ut tantum historiae monumentum, thesaurus quasi et decus quoddam totius Pomeraniae, usque ad hunc diem nondum in lucem prodierit, immo ut vel novissime, imprimis a Boehmero, auctori Kantzovio abiudicari potuerit? Quamquam sane B. opinione praeiudicata captus Pomeraniam non a Kantzovio, sed ab alio nescio quo scriptore contextam esse, ut sibi et aliis persuadeat, rerum veritate et fide fere inversa epistolam illam Kantzovii dedicatoriam exercitationis causa praemature et temere scriptam et falso cum Pomerania coniunctam, historiam multis maculis, quae auctori tunc magis evangelica fide et doctrina exculto potius laudi vertendae sunt, inspersam, omnibus, quae haud dubie Klempzenii manu adscripta ipsius sententiae repugnant, fidem abrogatam vult atque mediis in istis dubitationibus ipse vix negare potest[11]), Kantzovii descriptionem antiquissimorum Pomeraniae incolarum eandem fere, ut plurima alia, quae Kantzovii collectaneis continentur, melius et copiosius in Pomerania inveniri, concedendum tamen est, fuisse iam antiquitus, quod legentibus scrupulum illum quidem facilem expeditu moverit. Constat enim, Kantzovium, cum consilium suum de dedicatione et editione operis captum morbo irritum factum vidisset, Pomeraniam testamento Nicolao a Klemzen sibi amicissimo reliquisse, qui tamen, cum illo tempore in Pomeranis libri typis excudi nequirent, non habuisse videtur, quo modo amici opus, cuius quartum librum inchoatum reliquisse videbatur, ipse recognosceret et ederet. Sed quod tunc in libris manu scriptis, quam corruptionem etiam Bugenhagius a sua Pomerania arcere voluit, fere facere solebant, ut si quid ipsi haberent, id aut in margine adderent, aut transcribentes ipsi scriptoris orationi insererent, Klempzenius in libro hereditate sibi fere addicto suo iure facere posse videbatur. Quum igitur a. 1545 a duce Philippo cum aliis viris nobilibus brumali tempore legatus Vitembergam missus esset, Bugenhagio persuasurus, ne munus episcopi Caminensis ipsi oblatum recusaret, atque hac occasione data cum Melanthone haud dubie etiam de amico eiusque libro collocutus sermone in veteres res Pomeranicas incidisset, summo gaudio perfusus est, quod Melanthonem sententiae illi ab amico de antiquissimis Pomeraniae incolis conceptae non modo consentientem, sed etiam eleganti et subtili quadam coniectura de Henetorum[12]) gente proposita, quam deinde versibus fusius expositam cum ipso communicavit, adstipulantem audivit. Quid autem mirum, quod in tanta Melanthonis auctoritate Klempzenius nihil antiquius habuit, quam ut tribus fere locis, quibus Kantzovius in Pomerania sua de Germanicis huius regionis incolis disseruit, hanc novam Mel. opinionem de Henetis quamquam ab ipso Kantzovio eiusque libro satis alienam, ut aliis locis paucula alia, insereret et primo loco totam narrationem de sermone suo cum Mel. Vitembergae d. 28. Dec. a. 1545 habito cum versibus illis hac de re ad Nicolaum a Klempzen inscriptis adiungeret. Attentius legentem neminem fugit, haec Klempzenii verba a rebus et verbis Kantzovii satis diversa facile distingui et deleri posse, ut genuina legitimi auctoris

[11]) Boehmeri praef. p. 67 cf. p. 235.

[12]) Incredibile quantum haec Melanthonis opinio, quam de Henetorum origine sibi finxit, illo tempore apud Pomeranos valuerit; cf. praeter locos a Boehm. p. 245 allatos Petr. Vincentii vitam Bugenhag., Melanth. op. XII., 285; ita ut Lagus et Chelopoeus Melanthonem secuti vel in ipso Pom. ducum titulo eruditius quam verius scripserint: Duci Stettini, Pomeraniae, Cassubiorum et vetustae gentis Henetae.

Pomerania relinquatur; alii vero Klempzenii nomine mediae Pomeraniae inserto decepti aut non habebant, quid certius de auctore libri statuerent, aut in titulo narratiunculam illam respicientes Nicolaum a Klempzen auctorem existimabant et adscribebant. Quid? quod simillime invita quasi Minerva etiam Andreas Schomaker in Kantzovii quandam laudem et auctoritatem irrepsit nulla alia causa, quam quod in transcribendo et excerpendo Kantzovii chronico verbis, quibus de Erici II. thesauris Rugenwaldiae servatis auctor dicit: id quod ipse vidi, de suo addidit: „quod ego Andreas Schomaker postea Wolgastiae, cum ibi aerario praefectus essem, vidi manibusque tractavi.“ Quae paucissima verba narrationi Kantzovii inserta eundem turpissimum errorem moverunt, ut iam in titulo cum aliorum librorum collectorum, tum partis Pomeraniae ad verbum fere exscriptae iste auctor venditetur[14]). Sed quicunque vanis istis rationibus et erroribus omissis incorrupto et libero iudicio ad Kantzovii Pomeraniam accesserit, summa animi delectatione perfusus admirari non desinet, quo studio, quanta rerum scientia et doctrina — etiamsi eum ad historicam nostri temporis disciplinam revocatum multis locis et nonnunquam fere pueriliter errantem vides — quanta mentis sagacitate, qua arte et naturali quadam simplicitate, quanto patriae amore, quanta pietate res Pomeranicas conscripserit, ut posteriores, quod ipse recte vidit, omnes ex eius auctoritate rerumque copia pendeant. Iterum iterumque igitur querendum est, quod haec verissima Kantzovii Pomerania nullum adhuc editorem invenit, adhuc in bibliothecarum scriniis latet. Tandem veniat, qui Pomeraniam e tenebris proferat prolatamque qua cura decet cum Germaniae tum Pomeraniae nostrae restituat.

Sed si quid dubii de legitimo Pomeraniae auctore tibi relictum est, etiam iis quae sequuntur fore ut penitus id tollatur spero. Luce enim clarius patet, praeter Klempzenium, qui a. 1540 ipse genealogiam ducum Pomeranicorum vel breve quoddam chronicum concinnavit atque Wolgastiae in tabula proposuit, omnes rerum Pomeranicarum posteriores scriptores non aliud Kantzovii opus novisse, respexisse, secutos esse quam Pomeraniam quatuor libris conscriptam. Sufficiat tamen hoc loco, ne fines scribendi mihi datos egrediar, eos tantum scriptores afferre, a quibus Chelopoeo nostro aut via ad scribendum maxime munita erat, aut cum quibus ei summa similitudo intercedit.

Klempzenium prae ceteris laudabilis scriptor excipit, qui quas origines et quos progressus historia Pomeranica illo tempore habuerit, luculenter nos docet, Valentinus ab Eickstaedt. Et ipse a. 1527 nobili genere ortus postquam studiis literarum excultus in curiam ducis Philippi receptus est, iam a. 1553 „horis successivis“ Kantzovii Pomeraniam in suam ipsius memoriam exercitii gratia latine transcripsit et in epitomen annalium Pomeraniae genealogia ducum, catalogo episcoporum Cam. brevique descriptione terrae auctam redegit, quam pietate et gratitudine erga patriam ductus editurus erat, ut doctiores, quibus fortassis rerum scientia deesset, haberent paratam, unde sumerent, qui vellent scribere historiam. Hortatu autem praeceptoris eam principi Iohanni Friderico, Philippi filio, puero tunc undecim annorum, inscribit petens, ut puer puerilia progymnasmata benigne suscipiat[15]). Cum deinde dux Philippus unice dilectus, cui inde ab a. 1559, ut filiis usque ad vitae finem a. 1579, cancellarii munere functus summa fide aderat, a. 1560 praematura morte abreptus esset, domino ex iis, quae ipse vidit et quae audivit, uti audivit, vita enarrata egregium sinceri amoris monumentum erexit. Iam vero a. 1574, eodem anno, quo Chelopoeus noster chronicum suum conscripsit, paulo copiosius annales v. genealogiam ducum Pomeraniae ad annorum seriem revocatam item maxime ex Kantzovii Pomerania aliis

[14]) Omnia igitur, quae a Waglero de vita Bugislai X. in programmate Gubensi a. 1864 et 5 edita et Schomakero tributa habes, ad verbum fere ex Kantzovii Pomerania desumpta sunt.

[15]) Cf. epist. ded. et epistolam a. 1564 ad Balth. Silvium datam ap. v. Medem ed. Kantz. Pom. praef. p. 24.

libris et historiae monumentis repetitam digessit et germanice enarravit. At ipsum audiamus: A duce Ernesto Ludovico admonitus, ut ipse, cum alii non satis idonea rerum scientia instructi Pomeranicas historias fabulis inspersas edidissent, eorum conatus anteveniens res quomodo revera gestae essent, ad seriem annorum germanica lingua conscriberem, duci morem gesturus veteres Pomeranorum res historica fide comprobatas breviter complexus sum spe confirmatus, fore ut ipsi principes, quibus opus dedicat, exemplis iustitiae et veritatis propositis delectentur et ad iustum piumque imperium, fraternum amorem, salutem aeternam sibi parandam commoveantur. — Epistolae ad principes inscriptae iam praefationem ad lectorem subiungit, qua historiarum utilitatem maxime a divina rerum providentia in iis proposita repetit et cum antiquitus rerum Pom. scriptores his locis defuerint, maxime eos praedicandos censet, qui proxime sub ducis Philippi imperio ex veteribus historiae monumentis quam plurimis magno studio ac labore Pomeranica chronica, ut prae ceteris Thomas Kantzovius, conscripserint. Sed cum illud Kantzovii opus, (unam Pomeraniam ab eo dici ipsius annales multis locis ad verbum ex ea exscripti manifesto docent) sat ingentis molis, copiae, maioris rerum implicationis sit, quam quae a quovis perspici possit[16]), optandum videtur, ut principes a viris doctis rerumque scientia et usu instructis data opera illas antiquitates recensendas et ad finem perducendas v. continuandas curent, praesertim cum ex magno illo opere et compendia quaedam facta et genealogiae vel aliae historiae fabulis mixtae saepius editae sint. In hoc tamen libro gravissimas quasque res ad annorum descriptionem distributas extrahere et diligenter colligere[17]) studui, ut divina iustitia, quae in humanarum rerum vicissitudinibus apparet, nobis proposita ad dei sapientiam, preces, timorem convertamur. — Sed iam supra vidimus, quod tunc ante tria saecula nobilissimo illi et sapientissimo viro optandum videbatur, id ne nunc quidem eventum habere.

Quare cum illis temporibus et Bugenhagii et Kantzovii Pomerania aliique de rebus Pomeranicis compositi libri quamquam etiam atque etiam doctorum manibus transcripti in paucorum tantum notitiam[18]) venirent et in thesaurorum quasi numero haberentur, ad quos doctis solis aditus pateret, alii ut vidimus exstiterant, qui sine idonea cura rerumque scientia res temere ex aliorum libris desumptas fabulis insertis in lucem ederent. Quos scriptores Valentinus ab E. significaverit, non facile est expeditu: duos tamen afferre liceat, quorum libris descriptio et res Pomeraniae illo tempore latius diffundebantur, Artopoeum et Lagum, quorum unus Chelopoeo nominis, alter operis ansam et materiam praebuisse videtur. Cum enim a. 1546 Sebastianus Muenster, vir multifariae doctrinae et industriae, cosmographiam universalem, postea in multas linguas conversam, germanice et latine conscriberet, in tempore, quod ipse narrat[19]), etiam Pomeraniae proceres monuit, ut sibi mitterent, quae in libro suo de rebus Pomeranicis allata vellent. Imprimis Citzevitz, cancellarius principis Philippi, ei ipse Basileae

[16]) Cf. etiam illam epistolam ad B. Silvium m., in qua Kantzovii opus sine ordine copiosius conscriptum dicit. Quid hoc sibi velit, nemo ignorat, qui Kantzovii rerum ubertatem cum rebus a Valentino ab E. exiliter ad annorum seriem descriptis contulerit.

[17]) In libro Eichstadii, qui mihi in manibus est, ex bibliotheca Oelrichs. ad marginem loci, qui rebus in Schumacheri chronico i. e. in Kantzovii Pomerania allatis respondent, adscripti sunt: tam late serpebat iste error de auctore Pomeraniae conceptus.

[18]) In epistola allata, cum B. Silvius petivisset, ut sibi epitomen annalium mitteret, ipse respondet, eam in ducis Ioh. Friderici, cui dedicata erat, bibliotheca asservari; aliud eius exemplum se Erasmo Hausen dedisse, quod nonnullis locis, sed parum accurate Ioachimus Reincke descripserit; postremo ab eo petit, ut hanc particulam et genealogiam Klempzenii sibi remittendas curet.

[19]) In praefatione libri et in epistola ad Barth. Sastrovium missa ap. Sast. ed. Mohnike II. p. 612.

cum adesset promiserat, se ante natalem d. Christi a. 1548 ex Pomerania, quidquid ex re esset, missurum. Dum res paratur, Sastrovius eodem anno Spiram profectus a Muenstero petivit, ut cosmographiae alteram editionem differret, quoad duces descriptionem diligenter perscriptam per certum quendam nuntium ei misissent. Sed quae Pomeranorum tarditas erat, cum editio libri retineri non posset, auctor fasciculo literarum et tabularum per Sastrovium sero allato non iam uti potuit. Interim Petrus Artopoeus (Becker), Pomeranus, vir summae doctrinae et pietatis[20]) a Muenstero rogatus, ut quod principum viri docti neglexissent, ipse subministraret, et brevem Pomeraniae descriptionem et tabulam quandem Stettini urbis, sed Sundio similiorem cum notulis quibusdam adumbravit atque primus fere totius Pomeraniae tabulam confecit, quae Muensteri cosmographiae inserta nescio an prima Pomeranorum notitiam latius divulgaverit.

Huc accessit decennio fere post alter quidam libellus item a Pomerano de Pomerania conscriptus. Gregorius Lagus (Hase) quidem, nisi fallor Stolpensis, in epistola ded. ad principem Ioh. Fridericum, cui librum a. 1559 Vitembergae 59 fere pagellis editum dedicat, praemissa de scripto ipse narrat: Anni sunt fere decem, cum primum in hanc academiam me conferrem impulsore Martino episcopo, T. C. antecessore. Qui cum aliquam de meo ingenio spem concepisset, fuit hortator mihi, ut huc concederem et me familiariter in cl. praeceptoris nostri D. Philippi consuetudinem insinuarem. Pluribus deinde additis, quae benevolentiam et liberalitatem principis captent, ita pergit: Tenue scriptum est, quia ab historicis[21]), qui extant, iuvari multum non potui; pauca attigimus, quae in nostra tempora vel memoriam certe incurrerunt. Quae cum ostendissem viris sapientibus et eruditis, magnae illis voluptati fuere, qui etiam hortatores nobis exstiterunt, ut non defatigarer in conquirendis horum similibus, deque eorum sententia haec prima inculta licet et rudia emisimus, postea his paucis splendidiora fortasse daturi. — Brevibus igitur, quae Schoettgenius[22]) excerpsit, regionem, incolas, obiter res ab Odoacro usque ad Swantiborum et ad Ericum II. gestas, deinde accuratius Bugislai iter, iam religionem, maxime quomodo Stolpenses doctrinam evangelicam acceperint, literarum laudemetiam a Melanthone in viris nobilibus celebratam, describit et desinit fere in laudationem quandam virorum nobilium, qui tunc in Pomerania florebant; paucis adiectis de Iulino, Stettino, pluribus de Stolpia, quae eius patria fuisse videtur, iam de moribus Pomeranorum exponit; postremo sequitur laus principum et totius Pomeraniae sua pietate cum ab armis hostium tum a sectis haereticorum illo tempore munitae. „Sunt enim", inquit, „Pomerani vere γνήσιοι Saxones, graviores quam qui fluctuent omni vento doctrinae et novis fucatisque opinionibus circumagantur; sed verae doctrinae, quam semel imbiberint, tenaces usque eo, ut ne digitum latum quidem ab oraculo prophetae Lutheri vel in hanc vel in illam partem sese commoveant atque vacillent. Rogamus autem Dei filium, ut eos in hac mente diu conservet. Finis."

[20]) A. 1491 Coislini natus postquam Vitembergae literarum studiis et evangelica doctrina institutus propter evangelii confessionem Coislino et Rugenwaldia exactus inde ab a. 1525 fere Stettini scholae rectoris, deinde ad ecclesiam St. Mariae pastoris, in paedagogio professoris munere functus est, a. 1556 propter Osiandri errores, quos amplexus est, se munere abdicavit, Vitembergam concessit atque in patriam reversus d. 29. Mart. a. 1563 mortuus est.

[21]) Ubi p. 54 de Stolpensium fide, quam in principes semper praestiterint, verba fecit, etiam addit: Quia ibi tunc non erant scriptores rerum, quae gerebantur, iuxta consuetudinem Saxonicorum hominum Germanicis rhythmis ea decantata sunt et celebrata.

[22]) Alt. und Neu. Pommerland p. 129—41 cf. Dähnert bibl. Pom. III. p. 225.

2. De Chelopoeo Pyricensi.

Quibus explicatis cum facile iam intelligi possit, quo loco inter rerum Pomeranicarum scriptores Chelopoeus habendus sit, nihil restat, quam ut diligentius, quantum in memoriae eius inopia licet, de huius scriptoris vita et scriptis exponamus. Iuventus eius, quamquam quo anno et quibus parentibus Pyritiae natus sit, memoriae non proditum videtur, in eam fere aetatem incidit, qua Pomeranis primum hac in urbe lux evangelicae doctrinae affulserat; quare facere non possumus, quin primum his de rebus pauca quaedam praemoneamus. Iohannes Knipstrovius enim Franciscanus cum iam ineunte a. 1518 propter intrepidam fidei evangelicae confessionem, qua Francofurti a/O. frequentissima in audientium corona Tezelii erroribus unus se opposuerat, in monasterium huius urbis relegatus esset, per quinquennium veram doctrinam primum confratribus, deinde palam in ecclesia S. Mauritii etiam civibus desiderio eius captis cum magno applausu praedicaverat[23]). Sed postquam ille a. 1523 periculis ab abbate Colbatzensi et ab episcopo Caminensi imminentibus Stettinum, deinde Stargardiam, denique Sundium concessit, etsi non dubitandum est, quin semen divinum hac in urbe sparsum apud cives bonos fructus tulerit, plurimi monachi tamen et magistratus, ut tunc fieri solebat, vel timore vel consuetudine commoti inveteratos suos errores retinebant. Neque vero illo tempore Pyritiae defuerunt, qui exemplo suo probantes, non ubique ex pingui terra pinguia provenire ingenia, certe literarum studiis et doctrina florerent. Summa quidem prae ceteris laude tunc Faustinus Blenno (v. Blenn, Blindow) excellebat, qui a. 1487 patre Iohanne illo quidem sutore hac in urbe natus cum Lipsiae et Vitembergiae literis excultus c. a. 1510 Stargardiae, deinde Stettini, denique Sundii scholis rector praefuisset, a. 1521 in Gryphisvaldensi lit. universitate in artistarum facultatem et collegium receptus est[24]). Quid? quod ante eum iam a. 1514 Erasmus Holthueder (Xylo - non Kalophylax) et ipse Pyricensis[25]) Lipsia Gryphiam in idem collegium arcessitus et deinde sexies decanus, ter rector univ. creatus, postquam schola inde ab a. 1525 fere deserta, a. 1539 auspiciis ducis Philippi restituta est, usque ad vitae finem a. 1548 iam „optimus senex mathemata et physicam magna diligentia et fide professus est“. Eodem igitur tempore M. Faustinus Blenno, qui item ter decanus, a. 1521 rector univ. creatus est, usque ad a. 1524 ibi literarum professoris munere fungebatur, cum precibus aetate provectae matris monitus a. 1525 in patriam urbem rediit. Pyritiae autem nescio an matris pietate et aliis evangelicae doctrinae reliquiis commotus totum se Lutheri scriptis legendis et imbibendis tanto ardore et eventu se dedidit, ut ad Knipstrovii exemplum vixdum evangelii veritatem edoctus facere non posset, quin civibus suis, quid de iustificatione non operibus merita, sed fide gratis a deo accepta statuendum esset, publice in ecclesia urbis praedicaret. Sed cum in suburbanis quibusdam vicis iam inde ab a. 1524 pastores evang. ecclesiis praeficerentur, a. 1527 Nicolaus Rhuele Pyricensis Stettini pastor pauperum institueretur, Pyritiae tamen episcopi et abbatis auc-

---

[23]) I. Runge in brevi designatione rerum eccl. sub initium Ref. evang. in Pomer. gestarum ap. Koseg. de acad. Pom. ab doctr. Rom. ad ev. trad. p. 27: Fuit eo tempore in monasterio Piricensi Iohannes Cnipstrovius Franciscanus, qui lectis Lutheri scriptis evangelii doctrinam in ecclesia Piricensi magno cum applausu docuit; cf. p. 32: Saepe mihi Cnipstrovius dixit: Praefatio Lutheri in epistolam ad Romanos me et alios multos primum illustravit luce evangelii ac fuit nobis velut norma doctrinae seu liber locorum communium. Inde, aiebat, aestimare potes, quanti initio theologi fuerunt. Sed Deus operabatur per organa infirma et toti mundo suam ostendit bonitatem et gloriam, sicut scriptum est: Ex ore infantium parat sibi robur. Cf. Cram. chron. III. p. 41 et 44.

[24]) Koseg. hist. univ. Gryph. I. p. 171 et 2. [25]) Koseg. l. l. p. 171, 192 et 8.

toritas tantum valuit, ut F. Blenno propter concionem illam publice habitam monachis auctoribus a senatu Pyricensi condemnatus poenam quinquaginta marcarum persolvere cogeretur. Quam iniuriam indignatus, quod doctrinam scripturae sacrae consentaneam argento luere oporteret, cum illo fere tempore Margaretam Saboes in matrimonium duxisset, iurisprudentiam amplecti maluit brevique tantos progressus fecit, ut primum secretarii munere functus, post in senatum receptus et camerarius factus, denique omnium consensu consul rei publicae Pyricensis crearetur. Facile intelligitur, Blennonem his in muneribus auctoritate et dignitate sua optime etiam evangelicae doctrinae Pyritiae propagandae et ordinandae consulere potuisse. Vix igitur exeunte a. 1534 a ducibus reformatio evang. per totam Pomeraniam instituta erat, cum in prima ecclesiae Pyricensis visitatione Novembri mense a. 1535 habita, ab ipso matriculam certe aerarii pauperum perscriptam esse legimus, monachi autem, qui quatuor tantum illo tempore in monasterio relicti erant, omnes doctrinam evang. secuti alii aliis locis pastorum munus capessiverunt: Kiliano quidem iam ante ecclesia Lockenitz., Simoni tunc Pitzerwitz., Kedingio Beyersdorf., Laurentio Heine eccl. Mai. Rischov. et Horstiana contigit[26]). Sed quaerentibus, quisnam hac in urbe Pyritiae tunc primus ev. ecclesiae pastor praepositus quis capellanus v. diaconus ei adiunctus, quis rector scholae institutus fuerit, certi quidquam vix in medium afferre posumus, ut iam in coniecturis quibusdam acquiscendum esse videatur. Dubitari certe non potest, quin a. 1545 Thomas Stargart, qui inde ab a. 1526 Garcensi ecclesiae praefuit, ut in actis est[27]), Pyricensis pastor synodo Stettini habitae interfuerit: quando tamen hanc in urbem venerit, non liquet. Ut autemin plurimis aliis urbibus veterum eccles. rerum conditione tunc prorsus mutata, ita etiam nescio an Blennone auctore et actore Pyritiae dissidia quaedam, duobus post saeculis vix diremta, inter ducem et civitatem de iure patronatus ecclesiae exorta erant. Cum vero in altera ecclesiae Pyric. visitatione a. 1540 a consiliariis ducum atque a Paulo a Rhoda et Petro Artopoeo habita res fere compositae essent, primus quem certo scimus pastor Wolfgangius praepositi munere usque ad a. 1545, quo tempore Thomas Stargart Stettinum missus est, Pyritiae functus videtur. Atque Pyricenses quidem cum ius praedicatores suos ad munus vocandi denuo sibi assumentes tunc Vitembergam misissent, qui a Luthero peterent, ut virum literis doctum et pietate praestantem ecclesiae suae pastorem sibi commendaret, ab eo responsum tulerunt: se non habere, quem illi muneri magis idoneum censeret, quam ipsorum Blennonem. Ita sero quidem, sed summa cum laude M. Faustinus Blenno, qui civium precibus et studiis resistere non posset, a. 1547 pastoris primarii et praepositi munus in ecclesia S. Mauritii iniit. Tanta vero doctrinae, eloquentiae, gravitatis, ingenii laude praestabat, ut iam a. 1550 Bugenhagio auctore Lubecam ad superintendentis eccl. munus obeundum arcesseretur. Sed res aliter cessit. Quum enim in prima concione, quam in Lubecensi ecclesia haberet, voce haesisset, quamvis altera omnibus admodum probaretur, dei numine sibi admonitus videbatur, ne patria urbe discederet. Pyritiam autem reversus a civibus, qui prudenti eius consilio in rebus civilibus carere non possent, rogatus, ne in gravioribus rebus civitati deesset, et pastoris et consulis geminato quasi munere usque ad vitae finem a. 1560, quo etiam synodo Stettini habitae interfuerat[28]), optime fungebatur. Atque tantum vel mortui apud cives valebat auctoritas, ut pastoris munus deinde et filio et postea nepoti eiusdem nominis hereditate quasi traderent[29]).

[26]) Steinbr. hist. mon. Pom. p. 121. [27]) Balth. act. synod. I. p. 31, cf. Cram. chron. III. p. 81. [28]) Balth. l. l. p. 212.

[29]) Cf. quae diligentissime I. I. Steinbrueck. in libro ms. Pyric. synodus inscripto, qui cum aliis libris summa Societatis antiq. Pom. liberalitate mihi praesto est, enarrat: qui liber omnium ecclesiarum huius Pyric. synodi historiam studiose contextam continens sane dignus est, qui vel transcriptus vel editus ab omnibus certe eius pastoribus legatur et continuetur. Cf. Zachariae de lyceo Sed. p. 32.

Quibus rebus ita praemissis iam in medias res mediamque in nostri auctoris vitam delati sumus. Petrus Kistmacher[30]) igitur c. a. 1530 Pyritiae natus decimum fere annum agebat, cum maxime in altera illa ecclesiae visitatione a. 1540 etiam evangelicae scholae Pyritiae, fortasse iam, a. 1535 Blennonis auspiciis institutae, provisum esse legimus. Quae enim schola antiquitus certe inde ab a. 1256 cum ecclesia S. Mauritii coniuncta fuerat et postea fere in archidiaconi Pyricensis tutela floruerat, ea tunc ad evang. doctrinae praecepta restituta est atque iam, antequam ei vetus illud monasterium ducis sumptibus refectum, quo etiam nunc utitur, a. 1555 et deinde 1581 concederetur, nescio an primum inde ab a. 1540 cum rectorem v. magistrum tum praeceptores v. collegas habuit. Quamquam certius nihil memoriae proditum est, cum Petrus Kistmacher, qui ex more illius aetatis, si minus ipsius Artopoei auctoritate, at certe eius exemplo graece Chelopoeus nominari maluit, a. 1554 se in patria urbe cum bonarum artium praeceptis, tum pietatis christianae elementis primum imbutum esse ipse scribat, non a vero aberrabimus, si eum cum Iohanne, Faustino, Davide, Blennonis filiis, cum Laurentio Hamel, qui deinde, postquam ab a. 1550 aliis locis pastoris munere functus est, a. 1558 Bahnensem scholam aperuit, aliis, nisi privatim ab ipso Blennone magistro eodemque senatore, consule, pastore hoc factum est, in publica schola doctrinam ev. et literas primum didicisse statuamus, priusquam ad studia illa magis excolenda haud dubie ut Ioh. Blenno Stettinum in paedagogium a ducibus Pom. a. 1543 institutum mitteretur. Certe ut Faustinus Blenno iunior a. 1551 mense Octobri iniuriam temporum nihil veritus, ita Chelopoeus octodecim mensibus post et ipse Vitembergam se contulit, ubi a. 1553 die 11 mense Maio Petrum Chilepoeum (sic) Piricensem, die 13 Paulum Alebher item Pyric. numero scholasticorum adscriptos esse legimus[31]). Sed vix hac in schola unum fere annum, maxime Melanthone, Bugenhagio, Georgio Cracovio praeceptoribus usus, ad literarum studia et theologicam doctrinam diligenter incubuerat, cum gravissimo morbo implicitus est et, quod angelorum tutela periculo liberatus videbatur, pio gratoque animo orationem bene et erudite compositam de angelis confecit, quam a. 1554 Vitembergae editam „Prudentia et virtute praestantibus viris, Dominis Consulibus et Senatoribus Reipublicae Pyricensis, patronis ac dominis suis plurimum colendis“ his verbis etiam nostrae iuventuti optime convenientibus inscripsit et dedicavit:

Saepe de patriae statu cogitanti vita mihi omnino acerba esse videtur, quod nulla mea aut certe exigua in remp. extent et amoris et officii signa. Debet enim cuique sua patria, quaecunque ei contigit, commendatissima et iucundissima esse, sicut dicitur apud Homerum — ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος οὐδὲ τοκήων-γίνεται. Neque vero sum nescius, quam bene de me merita sit patria. Ad hoc enim vitae genus nunquam pervenire potuissem, nisi sub eius legibus aequissimis educatus et cum bonarum artium praeceptis, tum pietatis Christianae elementis primum imbutus essem. Ut autem aliqua ratione videar animum et amorem meum erga patriam declarare, ad vos viros integerrimos tenuem hanc orationem mitto, quam in gravissimo meo morbo non ita pridem hic de Angelis quoquo modo scripsi.

---

[30]) Familiae nomen adhuc in urbe servatum etiam illo tempore saepius memoratur. In inquisitione quidem a. 1585 iussu ducis Ioh. Frid. de monasterio Francisc. instituta Andreas K. civis et Petrus K. consul 60 annos natus afferuntur. Qui consul si a scriptore nostro non diversus esset, hunc a. 1525 natum esse pateret; cf. Steinbr. hist. mon. p. 118. A. 1590 in matricula eccl. S. Mauritii Elias K. cantor scholae perhibetur. Etiam posteriore tempore nomen inter consules, pastores, cives urbis in actis saepius occurrit.

[31]) Foerstem. alb. acad. Vit. p. 281; in album univ. Gryphisv. a. 1539 Andream quendam, a. 1546 Matthiam Bruno, qui deinde a. 1548 baccal. artium factus est, a. 1569 Ioachimum Hamel Pyricenses inscriptos inveni.

Quodsi a senatu hunc meum laborem ac studium probari intellexero, fortassis aliquando illustriori significatione voluntatem et gratitudinem meam declarabo.

Oro autem Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem Ecclesiae et angelicae et humanae, ut vos ad provehenda literarum studia et tuendam veram de Christo doctrinam clementer diu incolumes et florentes conservet. Valete feliciter. Decimo Cal. Mai. 1554. Petrus Chelopoeus.

Nisi a proposito alienum esset, nihil hoc loco antiquius haberem, quam ut hanc oratiunculam iuventuti nostrae exemplum quasi offerrem, quo intelligeret, quam iuvenili ardore illa aetate pueri novam et evangelii et literarum doctrinam amplexi sint. Etiam Chelopoeus veterum scriptorum libris haud mediocriter imbutus non solum facultatem latine scribendi, ut illa tempora erant, satis bene, quamquam non ubique satis emendate excoluerat, sed etiam, quod maioris momenti est, scripturae sacrae scientia egregie instructus optima et sincerae pietatis et veri iudicii testimonia hac sua oratione ediderat. Paucula igitur certe ex eius oratione delibemus: „Cum sola coelestis doctrina in magnis doloribus veras consolationes divinitus propositas ostendat et erigat animos nostros, ideo magis eam prae ceteris studiis amemus et colamus. Ac necessarium et maxime salutare erit in hac languida et delira mundi senecta, in qua maiores generis humani confusiones sequentur, quam fuerunt antea, ut de causis humanarum calamitatum et de remediis saepe cogitemus et vera ac caelesti sapientia, quam ipse filius Dei ex sinu aeterni Patris protulit, animos nostros confirmemus. Etsi enim omnia fere devastantur ac omnium rerum fatalis quaedam ruina imminere videtur — in tristissima illa principum laniena, tamen colliget et servabit sibi Deus inter tantos furores aeternam Ecclesiam eamque adversus rabiem Diaboli clementer tuebitur". Cum autem deus angelos ecclesiae custodes adhibuerit, de eorum laude dicturus est, quorum et ipse multas liberationes sensit. Nihil enim ei iucundius videtur quam eiusmodi rebus laudandis stilum exercere, quarum consideratio non tantum ad vitae emendationem, sed etiam ad perfectiorem beneficiorum Dei cognitionem prodest. Atque ut is quidem, qui liberalium artium dignitatem, usum, suavitatem percipit, ardentius illas amat et amplectitur, ita neminem fore arbitratur, quin pia meditatione angelorum excellentiam admiretur eamque ad vitam suam recte instituendam pertinere videat. Postquam igitur cum originem et dignitatem et naturam, tum ministeria et officia angelorum satis deligenter et erudite ad doctrinam scripturae sacrae exposuit, postremo orationem hac precatione concludit: „Te igitur, pater aeterne, veris gemitibus oramus, ut nos et praecipue illos, quibus cura docendi et gubernandi Tuum gregem commissa est, clementer tuearis et serves, ut ad posteritatem mediocri felicitate veram et salutarem doctrinam de Tua gloria et omnium hominum salute transmittant et propagent. Amen." —

Quem usque ad annum Chelopoeus Vitembergae moratus sit, numque iam ad illam orationem de angelis scriptam magister artium lib. factus sit, pro certo affirmare non possumus. Postquam deinde ab universitate lit. discessit, quod, priusquam pastoris munus obirent, scholis praecesse tunc fere moris erat, se quoque Stettini conrectorem paedagogii fuisse et inter Iohannem Roesel et Georgium Engelcke intercessisse in chronico suo ipse testatur. Quamquam quo anno hoc munus post Roeselium inierit et ante Angelum, quem a. 1565 Stargardiae rectorem factum esse scimus[32]), reliquerit, expediri non potuit. Chelopoeum autem certe a. 1564 iam Pyritiae adfuisse, inde colligas, quod oratio ab eo de pace scripta, cum d. 27. Iun. 1564 M. Fabianus Thymaeus, superintendens, primam Pyritiae synodum haberet, in schola

[32]) Cram. III. p. 180.

Pyricensi recitata esse fertur[33]). Quin etiam quo munere Pyritiae functus sit, dubitari potest. Micraelius[34]) quidem, quem alii secuti sunt, cum hac in urbe pastoris munus gessisse auctor est. Cum vero post Blennonem seniorem praepositi muneri M. Faustinus Blenno iunior Vitemberga arcessitus inde ab a. 1561—87, deinde usque ad a. 1596 Ioachimus Ladewig, quo anno per media incendia urbis eodem die 19. Mart. saecularia exorta et senex et caecus manu „ut olim Loth" deducebatur, sine dubio praefuerint, nihil restare videbatur, quam ut capellanus v. diaconus haberetur. Sed ne id quidem ferendum est: si quidem post primum illius temporis capellanum, cui Klee nomen fuisse dicitur, iam a. 1565 Severinus Stahlkopf, quem a. 1561 a Paulo a Rhoda Stargardiae pastorem institutum et ibi Antonii Remmelding generum factum usque ad a. 1565 remansisse scimus, Pyritiam vocatus hoc munus iniit et usque ad vitae finem a. 1608[35]) obtinuit. Iam vero cum eum neque primo, neque altero loco pastorem hac in urbe fuisse constet, nisi eum cum Petro Kistmacher, qui a. 1583 et 5 consulis munus gessisse traditur, confundere malueris, hoc unum relinquitur, quod maxime ad veritatem accedere videtur, ut tertium ei locum tribuamus eumque rectorem, qui usque ad hunc diem idem pastoris vice fungitur, hac in urbe factum esse statuamus. Quod si tenemus, c. a. 1560 Stettino Pyritiam reversus hoc munus, cui fere cum oratio ab eo de pace conscripta et in schola tunc recitata, tum ratio ab eo etiam in chronico maxime iuventutis habita conveniat, iniisse videtur. Quamquam enim certi quidquam de schola Pyricensi tunc restituta nobis non proditum esse vidimus, in primis tamen eius rectoribus unus ex Faustini Blennonis tribus filiis Iohannes[36]) erat. Is igitur a. 1529 Pyritiae natus et primum Pyritiae, deinde Stettini in paedagogio literis institutus, postquam inde ab a. 1548 per triennium Colbergensi scholae rector praefuit, a. 1551 ad studia literarum magis excolenda Vitembergam concessit; ibi sex annos moratus deinde ab a. 1557 per biennium scholam Pyricensem regebat, priusquam a. 1559 pastor ecclesiae Isingeranae factus, ab a. 1571—1609 diaconi ecclesiae S. Nicolai munus Stettini obtineret. Quem, nisi postea, quod Steinbr. significare videtur, frater eius Davides hoc munus nactus est, eodem a. 1559 nescio an ab ipso Blennone seniore vocatus M. Petrus Chelopoeus excepit. Utut est, ipsa in patria urbe unum tantum, quamquam levioris momenti, Chelopoei vestigium invenitur. Legimus enim in matricula ecclesiae a. 1590 conscripta, eum testamento pluribus annis ante a. 1574 facto[37]), quo vidua quaedam agrum suum partim ecclesiae partim aerario pauperum legavit, nomen suum M. Petrum Chelopoeum subscripsisse. Non igitur liquet, neque quamdiu munus scholasticum gesserit, neque quo anno diem supremum obierit, quamquam a. 1590 Ioachimum Wocken Soldinensem Pyricensis scholae rectorem fuisse in actis illis scriptum est.

Quibus explicatis iam extremo loco videamus, quomodo Ch. ad chronicum suum conscribendum adductus fuerit. Cum Vitembergae literarum studiis vacaret, in oratione illa de angelis scripta se posthac aliquando illustriore significatione voluntatem suam et gratitudinem erga patriam declaraturum esse professus erat. Decennio igitur post in patriam urbem reversus orationem de pace et post alterum decennium a. 1574 chronicum de Pomeranorum regione et gente conscripsit. Iam supra autem vidimus, maxime tunc temporis cum Vitembergam, tum praeter Bugenhagium Ph. Melanthonem Pomeranis parentem quasi fuisse historiae Pomeranicae componendae.

---

[33]) Koch. in progr. Gymn. Stett. a. 1824 p. 8 ex Ms. Vanselovii orationem eodem anno Francofurti a/O. in lucem prodiisse dicit, sed nusquam in bibliothecis, quas multas frustra adii, invenitur. [34]) VI. p. 429.

[35]) Cram. III, p. 173, cf. IV, p. 161; et matric. eccl. Pyrit. a. 1590. [36]) Cf. Cram. IV. p. 164.

[37]) Vidua enim, quae quo tempore Pyritiae habitabat testamentum fecerat, postea Stargardiae domicilium posuit, qua in urbe post eius mortem a. 1574 illud testamentum apertum est.

Qua in schola cum praeceptorum doctrina satis institutus esset, materiam historiae deinde Stettini, si minus ex archivis, ad quae ei aditus vix patebat, at certe ex ecclesiarum epitaphiis atque doctorum virorum libris aut manu scriptis aut prelo iam subiectis collectam postea Pyritiae a. 1574, quamquam in contexendis historiis minus exercitatum et multis molestiis occupationibusque impeditum se esse profitetur, patriae et iuventutis amore incitatus diligentius disposuit et compendiose narravit. Ipse enim scribit: Etsi iam dudum multi boni et docti viri me adhortati sunt, ut ea, quae inter molestias occupationesque meas conscripsi, divulgarem et ederem, qua etiam in re (haud dubie iam Stettini) suam mihi polliciti sunt operam, tamen eorum admonitioni certis de causis locum relinquere nolui nec debui. — Veniam autem, quam exiguo suo scripto summa modestia et a Principe et a lectoribus petit, si tanta in rerum discrepantia et confusione erraverit, vix quisquam laudabili eius et voluntati et patriae amori denegaverit. Iam vero, ut erat vir doctus et Melanthonis discipulus, non sua vel Germanica vel Pomeranica lingua, sed ut ante eum Bugenhagius, Lagus, Eichstadius alii latina oratione, cuius tunc quidem praeter doctos viros et principes, ut prae ceteris in Pomerania Ioh. Fridericus, et civitatum consules magistratusque satis gnari erant, maxime ex doctorum libris historiam concinnavit. Quare factum est, ut epitaphiis quibusdam et nonnullis aliis, quae haud sane spernenda ipse vidit vel audivit, omissis non sua, sed fere aliena nobis afferat et proponat; omnia tamen, quae undique summa diligentia neque sine arte congessit, tam bene distinxit et tam luculenter distribuit, ut chronico suo non tantum specimen eruditionis, qualis tunc erat, sed etiam hoc tempore satis commodam gravissimarum rerum Pomeranicarum notitiam nobis praebuerit. Postquam igitur Lagi libellum de Pomerania, quem mutato rerum ordine plurimis locis ad verbum fere exscribit, sui operis quasi fundamentum posuit, ita vero, ut quae ille in magna rerum tenuitate obiter et temere fere tetigit, melius disposita omnibus partibus copiosius enarret, librum suum de Pomeranorum regione et gente ita contexuit, ut ad Mareschalki exemplum declaratione vocabulorum quorundam non quidem addita, sed praemissa[38]) primo capite ex Lagi et Kantzovii libris fere concinnato de situ, fertilitate et fluviis Pomeraniae, altero capite ex iisdem fere auctoribus et Krantzio de provinciis et urbibus P., tertio ex Kantzovii et Melanthonis maxime sententia de origine Pomeranorum, quarto illo quidem in vita Ottonis ep. ad verbum fere ex Bugenhagio desumpto de conversione et religione P., quibus breviter expositis quinto capite denique ab initio Krantzium maxime, postea plurimam partem Kantzovii Pomeraniam, in descriptione itineris a Bugislao X. Hierosolyma facti totum Lagum secutus diligentius de rebus gestis ducum Pomeranorum postremo etiam genealogia eorum illustratis exponat. Certis quibusdam locis, sed brevibus etiam veteres historias Helmoldi all. adiise videtur; nominatim, si loco saliunde tacite desumptos exceperis, praeter Helmoldum et Krantzium etiam Mich. Rictium de vita Caroli M. affert. Libris vero ab Eichstadio de iisdem fere rebus similiter conscriptis, quorum duorum priorum facultas ei vix data est, tertii origo in eundem annum 1574 incidit, ipse non usus videtur, quamquam inter epitomen eius annalium P. et quintum huius chronici caput, cum uterque maxime ex eodem fonte, ex Kantzovii Pomerania, sua hauserit, multis locis non quidem verborum, sed rerum magna similitudo intercedit.

Chelopoeus autem cum ita opusculum suum absolvisset, nihil antiquius habuit, quam ut Principi Iohanni Friderico cum literarum, tum antiquitatum Pomeraniae amantissimo, quod ex Bugenhagii exemplo scriptores tunc facere solebant, unum libri exemplum cum epistola dedicatoria Stettinum mitteret vel ipse Stettini coram traderet, alterum cum epistola similis fere argumenti ad lectores praemissa ad edendum pararet. Sed editio illa quamquam haud dubie ab

[38]) Quam ipsi potius ad finem libri reponemus.

auctore parata nescio quam ob causam omissa est. Nihilominus Chelopoci chronicum saepius transcriptum his tribus fere saeculis non paucorum manibus tractabatur atque a Friedebornio, Micraelio aliis ad rerum Pom. descriptionem adhibitum, a viris doctis partim laudatum, partim contemptui habitum[39]) plus octo codicibus aetatem tulit. Neque vero per illud tempus totum latuit, cum iam a. 1824 particulae quaedam hinc illinc ex chronico depromptae ad Ottonis, episcopi Bamb., saecularia sacra septima celebranda Fr. Kochii egregia opera Stettini in lucem prodierint.

Sed iam tempus est, Chelopoeum ipsum loquentem et scribentem inducere, quod ita faciemus, ut lectionem, quam unus optimus codex (A) isque nitidissime totus quadratis literis scriptus nobis praebet, cum aliis codicibus collatam atque si res postulat emendatam legentibus offeramus. Hic enim codex, in quo epistola dedicatoria ad Principem omissa alia epistola similis fere argumenti ad lectorem addita est, vetustissimam chronici formam additamentis non iam auctam vel corruptam continet. Accedit alter codex[40]) (B) sat vetustae scripturae, in quo libri inscriptione et epistola ad lectores omissa epistola dedic. ad Principem pulcherrime, ut videtur, ipsius auctoris manu a. 1574 quadratis literis scripta invenitur, ita tamen ut sequenti codici diversae chartae et scripturae postea praeligata appareat. Ipse autem codex ab epistola a. 1574 scripta diversus, quod cum aliis locis, quibus „nunc“ accuratius definitur, tum a. 1582 in margine adscripto satis apparet, a. 1582, neque vero propter errores quosdam ipsius auctoris manu descriptus est. Nisi fallor, vir doctus vel consiliarius quidam, quod auctor ipse a Principe petiverat, Stettini in curia Principis Ioh. Friderici non ipsam quidem narrationem Chelopoci correxit, sed historiam usque ad a. 1582 mutatis mutandis vel nominibus quibusdam additis continuavit. Quae igitur hoc in altero codice (B) bene addita leguntur, uncis inclusa auctoris orationi inseremus; quae locis quibusdam in margine haud incommode adnotata sunt, infra textum in adnotationes reiiciemus, ut etiam hoc exemplo ita proposito facile intelligas, quomodo illo tempore et in Chelopoci et in aliorum chronicis transcribendis scribae in scriptorum munus se insinuare proclives et parati fuerint.

---

[39]) Cf. Boehmer. in com. stud. Balt. III, p. 84.

[40]) Cod. A. servatur Stettini a Societate ant. Pom. in bibl. Loep. Ms. 46, 4; B. in bibl. Adlung. 3 fol.; praeterea usus sum altero codice postea huic alligato et cod. Loep. 47 f. a. 1736 transcripto; accessit codex univ. Gryphisv. Omnes fere paaculis exceptis ad ipsum auctoris opusculum codice A servatum descripti sunt; unus tantum ille a. 1736 demum opera Loeperi ad illud exemplum Libeheri transcriptus exhibet codicem B. Ut autem discrimen, quod inter utrumque codicem intercedit, facilius intelligatur, unum exemplum attulisse sufficiat. Praeterquam quod in cod. B. Ioh. Frid., qui in cod. A. Dux dicitur, in curia Stettini Dux illustrissimus vocatur, in descriptione Stettini cod. A. a. 1574 in paedagogii rectoribas enumerandis extremo loco dicit: Et hodie M. Mattheus Wulfius (qui, quod auctor Pyritiae nescisse videtur, rectoratum tantum usque ad a. 1570 gessit); cod. B. a. 1582 scriptus numerum ita continuat: M. Mattheus Wolfius, M. Ionathas Gutzlaff Stolpensis, M. Martinus Ruhelius Stargardensis, et hodie M. Conradius Bergius Colbergensis (qui, quod Stettini in curia degenti, non Pyritiae notum erat, rectoris munus inde ab a. 1578 et per decennium quidem gerebat. Similiter etiam de aliis nominibus in altero codice additis res sese habet.

De

POMERANORUM

regione et gente.

AUCTORE

M. Petro Chelopoeo Pyricensi.

Anno 1574.

Illustrissimo Principi et Domino, Domino Iohanni Friderico, Duci Stettini, Pomeraniae, Cassubiorum et vetustae gentis Henetae[1]), Principi Rugiae et Comiti Caycorum, Domino suo clementissimo

G. et P.

Non nobis solum nati sumus, ut Cicero ex Platone[2]) citat, sed partem sibi vendicat patria, partem amici. Illa enim nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos semper sustinet ac novissime suo gremio complexa usque ad resurrectionis diem custodit et reservat. Quare si quid est in nobis vel ingenii vel doctrinae, patria prope suo iure fructum a nobis repetere debet.

Magna etiam virtus est, amare patriam atque in eam perspicua amoris et pietatis vestigia relinquere, uti Zenonem, Trasibolum, Mutium, M. Curtium, Themistoclem et alios quam plurimos fecisse legimus.

Haec me moverunt et excitarunt, ut aliquid de Pomeranorum regione et gente breviter colligerem et conscriberem. Etsi vero iam dudum multi boni et docti viri me adhortati sunt, ut ea, quae inter molestias occupationesque meas conscripsi, divulgarem et ederem, qua etiam in re suam mihi polliciti sunt operam, tamen eorum admonitioni certis de causis locum relinquere nolui nec debui.

Sed hoc meum exiguum sane scriptum consulto C. T. offerre volui, suppliciter orans, ut C. T. hunc libellum benigne suscipiat, revisionem eiusdem C. T. consiliariis mandet et

[1]) Cf. quae de titulo mutato supra diximus. Vetustam g. Henetam Vandalorum loco posuit; cf. etiam Nic. a Klempzen in Kantzovii Pomerania et ap. Boehm. p. 242, ubi ad titulum Ducum Pom. respicit. Iam Lagus Melanthonem secutus in libro de Pom. p. 3 titulum sollemnem ita docte mutaverat, cuius exemplum Chel. hic ut in aliis rebus sequitur. Similiter Comes Gutzkoviae ab utroque vocatur C. Caycorum, quod Caycos v. Chaucos cum Henetis in hanc regionem venisse Melanthon sibi persuasit. Vide praeterea Bug. P. 1, 13.

[2]) Cic. off. I, 7 ex Platonis quae fertur ep. 9 ad Archytam. — Quos in sequentibus consiliarios ducis significarit, ipse in extremo tertio capite affert.

me sibi commendatum habeat. Ac cum omnia negotia et res gestae in tanta discrepantia et confusione, uti decebat, non explicentur, non dubium est mihi, C. T. consiliarios ea omnia altius reputaturos et pro eorum sapientia, eruditione et industria ingeniorumque dexteritate melius et pulchrius exornaturos et locupletaturos esse.

Oro autem aeternum Deum, patrem domini nostri Iesu Christi, ut C. T. diu servet incolumem eiusque gubernationem salutarem faciat et Ecclesiae et hisce regionibus. Amen.

Piritiae a nato Christo anno 1574 die 13 Octobris, quo die ante annos 296 mortuus est Barnimus primus, cognomento Bonus, cuius filiam Hedwigam Iohannes Marchio, Elector Brandenburgicus, sibi legitime coniunxit, cui pro dote cessit Prentzlovium totaque Ukermarchia.

Illustrissimae Celsitudinis tuae

subiectissimus

Petrus Chelopoeus
M.

Non dubium est, omnium hominum pectoribus mirificum quendam patriae amorem divinitus insitum esse. Huius autem amoris semina in me quoque reperio et sentio. Quis enim extra naturam positus, seu plane ἄστοργος aliter sibi in animum induceret? Saepenumero igitur optavi, me perspicua amoris vestigia in patriam relinquere posse. Non enim nobis solum nati sumus (ut praeclare scribit Plato), sed partem sibi vendicat patria, partem amici.

Etsi vero meae tenuitatis mihi probe sum conscius meque in contexendis historiis minus exercitatum fateor, tamen Patriae situm, fertilitatem, fluvios, provincias et urbes breviter describere, originem, religionem et res gestas Pomeranorum ac Rugianorum paucis ostendere conatus sum. Neque enim tantum dignum est, considerare patriam et locum, in quem mirando consilio collocati sumus, verum etiam tenere decet religionem et quae suo loco gesta sunt. Quid quaeso homini non monstroso hac ipsa consideratione et cognitione iucundius esse potest?

Non me latet, quanti sit iudicii, doctrinae et experientiae praecipuas et insignes historias ex magna discrepantia et confusione ordine comprehendere. Hunc tamen laborem et onus in me suscepi, non quod confiderem me aliquid navare aut efficere posse his rebus dignum, sed ut declararem amorem erga patriam et excitarem ad hoc opus, qui totam antiquitatem perspicere, omniaque altius reputare et melius exornare poterit[3]). Quare omnes candide iudicantes erroribus et quod omnia negotia ac res gestae non satis pro dignitate, uti decebat, a me explicentur, veniam sponte daturos, omnino mihi persuadeo, praesertim cum pauci extant scriptores, qui de his regionibus, Marchia Brandenburgensi, Pomerania, Mechelburga et finitimis aliquid laude dignum scripserunt: vel quod hae regiones iis ignotae, vel quod invidia praeclaras earum res gestas atque virtutes silentio praeterierint. Spero tamen hanc qualemcunque huius antiquissimae regionis et gentis descriptionem multis profuturam omnibusque bonis iucundam et gratam fore. Nam animo tam ferreo esse debet nemo, quem non cupiditas aliqua cognoscendi antiquitatem Patriae teneat.

[3]) Simili modestia etiam Bugenhagius, Kantzovius, Val. ab Eichstaedt alii suos libros excusarunt. Queritur sane de paucis scriptoribus, sed nihil dicit de Krantzio, Mareschalko, Bugenhagio, Kantzovio, Lago, quorum ex libris sua fere desumpsit.

Primum caput.

De situ, fertilitate et fluviis Pomeraniae.

Primo[4]) autem situm et metas, fertilitatem et fluvios Pomeraniae breviter indicabo. Tota haec regio, quam hodie generali nomine Pomeraniam vocamus, ad mare Balticum sita est et a Vistula usque ad Panum fluvium in longitudinem circiter sexaginta milliaria Germanica sese extendit. Latitudo non ubique eadem est. Nam ea (excepta tamen latitudine maris) nonnullis in locis est sex, in nonnullis octo et in nonnullis tredecim milliarium. Habet ab oriente Poloniam, a meridie Marchiam Brandenburgensem, ab occasu Mechelburgam, a septentrione partim Daniam, partim Sueciam.

Pomerania a primis cultoribus patria lingua, hoc est, Wandalica, Pomorzi est appellata, quod significat Wandalice regionem ad mare sitam, licet quidam vocabulum Pomern Suevicum esse volunt. Nam Suevos haec loca olim tenuisse affirmant: Baim Meer, inde Pommern. Mare enim affluit et munit occidentalem et septentrionalem Pomeraniae partem. Veteres eius limites fuerunt Vistula, Warta, Preorus et mare balticum. Vocatur autem hoc mare balticum a Baltia peninsula, quae tria continet aquilonis regna, Daniam, Sueciam et Norwegiam, ut testis est Plinius. Ac cum maritima alluat septentrionali oceano, inde navigatur in Livoniam, Sueciam, Norwegiam, Daniam, Scotiam, Angliam, Galliam, Portugalliam, Hispaniam et in illum maxime tractum, qui nominatur die Weſtſee.

Ripa maris Pomerani natura vallo solidissimo munita est, ut nulla eius inundatio terrae nocere et incommodare possit, sicut fit in Phrisia et Hollandia, ubi perpetuis aggeribus impetus eius coercendus est. Habet igitur haec terra terminum a Deo positum, quem mare praetergredi non valet.

Regio est plana, non montosa, omnium rerum fertilis et hodie colonis plena, dives agris, pascuis, pomis, lignis, venatione, pecore, piscibus, avibus, frumento, butyro, caseis, melle, cera et aliis his similibus rebus, quas etiam navibus et curribus longinquis saepe communicat terris. Non profert argentum et aurum, sed ferrum habet in quibusdam locis. Ac sal Colbergae et in ea vicinia coquitur.

Eiicit etiam littus in Pomerania succinum a Romanis sic vocatum, quod ex succo, non tamen ex arborum succo concrescat. Errant igitur, qui succum arborum esse dicunt; nam nec in Prussia, ubi tamen plurimum legitur succinum, a mari stant arbores resinis stillantes. Graeci vocant ἤλεκτρον, quod tritu calefactum attrahit paleas aliasque res tenues et minutas. A nobis vocatur Augſtein aut Bernſtein. Huius virtus est, ut scribitur, adiuvare partum eumque facilem reddere, adhibito parturientis naso.

Non multa in Pomerania proveniunt vina propter frigora, iis tamen vel mari vel terra importatis libenter utuntur. Coquitur autem ibi omnis generis cerevisia sine ullo gravamine seu axia[5]). Quae res Principibus Pomeraniae incredibilem gratiam et amorem inter cetera apud suos parit, illudque tamquam singulare Dei beneficium agnoscunt.

---

[4]) Quae sequuntur, nonnullis adiectis fere ad verbum ex Lago p. 8 et 11 petivit. Quae vero de nomine maris baltici profert, Krantzius Vand. II, 17 extr. sibi vindicat. De electri usu similia narrantur ap. Seb. Muenster. Cosmogr. p. 579, cf. Alb. Krantz. Vand. VI., 7 ex Tacito et Kantz. Pomer. etiam ap. Boehm. p. 59.

[5]) Axiae in cod. B. superscriptum accisa, ubi haec verba in margine addita legis: Dat were uns Anno Christi 1588 ſchyr öuel bekamen. Cf. Barthold. hist. Pom. IV. 2, p. 403.

Haec regio aquis irrigua est, fluviis et amnibus navigabilibus abundans, inter quos ab occasu in orientem sunt Troch, Trebellus, Panus, Tollensus, Verius, Randous, Suenus, Odera, Planus, Inaus, Rega, Molcius, Parsantus, Raddius, Wiperus, Stolpius et Leppenus. His veteres Vistulam et Wartam annumerarunt.

Habet etiam valde multa stagna, inter quae praecipua sunt Labbusinum, Stolpium[6]), Iament, Dammense, Madduum, Lacus recens, qui in longitudinem ad novem et in latitudinem ad quatuor milliaria extenditur; ac adeo piscosus est hic lacus, ut saepe uno iactu pisces capiantur pro ducentis aut trecentis aureis. Et cum est piscatio felix, ex piscibus illis annuus proventus est aureorum viginti quinque millium. Hi deinde fumo vel vento durati in multas alias terras, Marchiam, Mysiam, Thuringiam, Saxoniam, Silesiam, Poloniam et Bohemiam distrahuntur et cibum ministrant multis aliis terris per circuitum sitis.

Capiuntur autem in his fluviis et stagnis omnis generis pisces[7]), ut sunt Esox, Amia Welß, Sturio, Lupus, Aurata χρύσοφρυς Forellen, Carpio, πέρκαι Parſe, Melanuri Kulparſe, Murena, Mullus Barben graece τρίγλη, quia ter in anno parit[8]), Alosa τρῆσσα Jeſen, Erythrini ex miluorum genere Plötzen, Anguilla, Tencha Schlei, Fundulus, Prasinus Praſſen, λεῖος γαλεὸς levis mustela Neunaugen, γαλεὸς ποικίλος mustela varia Beisger, Gobius κωβιὸς Quappen, Salpa σάλπη Storfiſch, Solea ῥινὴ Schollen, Ratia ῥάτις Rochen, Halec μαινὶς Hering, Turdi Schmerlen, Truta, Fohren, Trinca, Stint, Cancer et id genus alia.

Secundum caput.

De provinciis et urbibus Pomeraniae.

Dividitur Pomerania in superiorem seu citeriorem et in inferiorem seu ulteriorem, in Ducatum Stettinensem et Wolgastensem; in Wandaliam et Cassubiam; in Principatum Rugiensem et Bartensem; in Comitatum Gutzkoviensem et in Comitatum Neugardensem; in Praeturas Butoviensem et Lowenburgensem et in Episcopatum Caminensem.

Stettinensis Ducatus olim complexus est tractum et urbes cis Inaum et ultra citraque Oderam, videlicet Stettinum, Pyritiam, Garcium, Grifenhagium, Dammium, Golnovium etc.

Wolgastensis Ducatus urbes sunt Gripswaldum, Anclivium, Wolgastum, Deminum et alia oppida

Wandalia[9]) olim generale fuit nomen ac divisa in Pomeraniam, Cassubiam et Rugiam. Wandalos quidam numerant inter septentrionales populos, quod hinc scilicet orti in alias sese effuderint terras; aliis tamen magis placet, quod Bohemi, Poloni et alii populi maritimi his affines olim dicti fuerint Wandali. Nominis vero etymologiam deducunt a Wanda, regina Poloniae, quam pro assecuta contra Teutones victoria fabulantur Diis se ipsam immolasse, de ponte in Vistam saliisse et ab aquis suffocatam uno milliario a Cracovia, unde fluvius, in quo submersa est, dictus est Wandalus (et gens circa fluvium habitans Wandalitae); nostro tamen tempore fluvius ille appellatur Vistula, Germanice die Weichſel, qui scilicet Germaniam nunc separat a Polonia.

---

[6]) B. in margine addit: Gardense, Lebense. [7]) De piscibus Pom. vide Kantz. Pom. cf. Barthold. hist. Pom. I p. 81.

[8]) Cf. Aelian. hist. anim. IX, 51 aliis locis; de τρῆσσα rectius θρίσσα vid. Ael. l. l. VI, 42.

[9]) Cf. Krantz. Vand. I. 1; Maresch. Her. I, 12; Kantz. Pom. etiam ap. Boehm. p. 273 sqq. Quae de Wanda sequuntur, Ch. ex Bugenh. Pom. l. 3 Polonorum chronica secuti fere hausit.

Cassubios[10]) a plicis vestium, quibus ceterorum vestes caruerunt, nomen acquisivisse volunt. Nam Cassubitz eorum lingua dicitur vestium plica gefaltzete Kleider. Sedes suas habuerunt in Episcopatu Caminensi et Nova Marchia. Eorum lingua paululum discrepavit a reliquis Wandalis, eaque hodie apud quosdam Cassubios est in usu.

Rugia insula, quae olim caput fuit Wandaliae, contra Sundium sita est et septem habet milliaria in longitudine et totidem in latitudine. Olim longe maior fuit quam nunc est, multum enim decessit ei per tempestates nimias. Est autem terra fertilissima et promptum horreum Sundensibus, ut Sicilia Romanis. Continet etiam in se alias insulas, utpote Wittovium, Iasmundum, Hiddensee, Ummantz. Subiecta est Rugia Dioecesi Roschildensi anno a nato Christo millesimo et ducentesimo. Non habet nunc oppida muris circumdata: nullos nutrit glires; lupos quoque habet nullos. Ante Christianismum hic fuit captura halecis, quam Deus transtulit. Capitur tamen adhuc ibi hodie halec, sed non tam copiose ut olim. Urbs eius prima et praecipua fuit Arcona, cuius nulla sunt hodie vestigia. Haec[11]) urbs in arduo sita fuit promontorio ab oriente et meridie cincta mari, tanto praecipitio moenibus in alta surgentibus, ut arcus iactus ab imo vix aequaverit. Ab occidua parte ingens atque altum vallum communivit urbem; ab aquilone fons scaturivit atque communitus aditus, ut prohiberi posse oppidanis non videretur. Hanc obsedit et obsessos ad deditionem coegit Waldemarus, rex Daniae, a. 1168.

Rugiani olim proprium habuerunt principem, qui possedit una cum Rugia etiam Barthiam, quae comprehenditur fluviis Pano et Ribbenitzia. Hoc hominum genus (teste Helmoldo) idololatriae deditum fuit, vagum semper et mobile piraticas exercens praedas. Ex una parte Danis, ex altera Saxonibus infestum. Saepius igitur multis modis magnorum imperatorum et sacerdotum solertia tentatum est, si possent Rugiani aliquatenus ad agnitionem divini nominis adduci. Sed de his infra plura dicemus.

Mortuo Witzlao quinto ante Iaromarum filium et Samborum fratrem sine heredibus Principatus Rugiensis foedere hereditario devolutus est ad Pomeranos duces, ad Wartislaum VII., ipsorum nepotem ex sorore, a. 1325. Eius urbes tum fuerunt Sundium, Barthia, Damgardium, Grimmium, Tribbesees et in Dania Listeren, Hildinge et Fledinck.

Gutzcovia olim suos habuit comites, qui usi sunt cruce et quatuor rosis pro insignibus. Mortuo autem Comite Iohanne sine heredibus hic comitatus pervenit ad duces Pomeraniae a. 1350.

Comitatus Neugardensis munitissimam habet arcem et nomen sortitus est ab adiacenti oppido Neugard. Habet enim duo oppida Neugardium et Massovium.

Episcopatus Caminensis a Ratiboro et Wartislao fratribus, Ducibus Pomeraniae, fundatus est. Eius autem sedem primum fundarunt in Iulino, sed eandem Wartislaus II. transtulit in Caminum a. 1175. Huius episcopatus urbes sunt Colberga, Coslinum et Corlinum, ubi est sedes episcopalis, item Gultzkoviana domus.

Possederunt etiam olim Duces Pomeraniae totam Ukermarchiam, quae ab Ukero fluvio nomen habet, donec eam Barnimus I. pro dote dedit Iohanni Marchioni Brandenburgico ex familia Anhaltinorum.

Metropolis autem in Ukermarchia est Prentzlovia, quae a Primislao, Wandalorum rege ultimo, exstructa et nomen sortita est circa a. 1138. Hanc urbem postea Barnimus I. auxit et ampliorem reddidit a. 1275.

---

[10]) Cf. Kantz. Pom. etiam ap. Boehm. p. 287.

[11]) Cf. Kantz. Pom.; quae de Arcona afferuntur, ad verbum exscripta sunt e Krantz. Vand. V, 12.

Tractus etiam ultra citraque Vistulam, quem adhuc hodie Pomerellam vocant, olim Ducum ulterioris seu inferioris Pomeraniae hereditaria fuit terra longe etiam post christianismum. Post obitum autem horum Ducum partem Poloni et ordo Prussiae, partem Marchiones occuparunt a. 1295, ut postea dicetur.

Habent autem Duces Pomeraniae insignia novem. Utuntur enim insigni Wandalorum, Cassubiorum, Stettini, Pomeraniae, Usedomiae, Gutzkovii, Wolgasti, Rugiae et Barthiae. Haec insignia epigrammate[12]), quod subiecimus, comprehensa et illustrata sunt.

Cur septem Gryphi, cur crux, cur et leo fulvus
Vexillum decorant, Dux Pomerane, tuum?
Tot mihi sunt patrio subiecti iure ducatus,
Illis contentus non aliena peto.
Cur fortes Gryphi? peragant quod fortia facta,
Hinc etiam armatos unguibus esse vides.
Cur adeo unanimes? Patriam legemque tuendam
Quod sibi coniunctis viribus esse putent.
Cur vigiles semper? Studiis quod tradita servent
Et circumspecta nil nisi mente gerant.
An alii parent? Excepto Caesare nulli,
Alterius nunquam iussa subire volunt.
Uni avium cur est sturionis cauda tributa?
Nempe etiam salsis quod dominetur aquis.
Cur aleae varii iunctim latrunculi inhaerent?
Seria ne tantum nos didicisse putes.
Cur leo magnanimus speculatur moenibus altis?
Urbibus et populis prospicit ille suis.
Cuncta salutifero testamur subdita Christo.
Hinc est purpureis crux sociata rosis.

Nunc de urbibus[13]) et oppidis Pomeraniae dicemus.

Est autem Pomerania optime culta civitatibus, oppidis, arcibus et villis. Civitates autem sunt hae: Demin, Damgartum, Barthia, Stralsundium, Tribbesees, Loitzium, Wolgastum, Gripswaldium, Grimmen, Usedomia, Anclivium, Ukermundium, Treptovium ad Tollense, (B. Pasewalk), Stettinum vetus, Garcium, Pyritia, Stargardia, Dammium, Grifenhagium, Banovium, Golnovium, Caminum, Iulinum, Massovium, Neugardium, ubi est sedes generosorum comitum de Eberstein, Frigenwaldium, Daber, (B. Labes, Regenwaldium, Platovium), Grifenberga, Treptovium novum (B. ad Regam), Belgardium, Stettinum novum, Colberga, Coslinum, Corlinum, ubi est sedes episcopalis, Rugenwaldium, Stolpium, Sclagia, Lowenburga (B. Leopolis) et Butovium.

[12]) De insignibus novem cf. Bug. P. 1, 12; epigramma in paucis, maxime in penultimo versu, cui etiam in cod. B. subscriptum est: Semper in adversis Christum quia adesse fatemur, mutatum primum, ut videtur, invenitur in Epit. ann. Val. ab Eichstaedt; quo loco cum nomen auctoris in literis P. V. V. subscriptis latere videatur, equidem Petrum Vincentium Vratislaviensem ita significatum putaverim, qui postquam inde ab a. 1543—9 Gryphiae bonas literas et linguam graecam docuit, postea a. 1558 publica oratione vitam Bugenhagii Vitembergae enarravit.

[13]) Oppida enumerantur ad Bugenh. Pom. exemplum, sed accuratius describuntur sicut in quarto libro Kantz. Pom., quem de singulis conferas; similiter, sed brevissime ap. Eichst. in epit. extr. —

Harum quaedam in littore maris iacent et navium commercia habent, ut Sundium, Barthia, Wolgastum, Gripswaldium, Ukermundium, Stettinum, Dammium, Iulinum, Caminum, Colberga, Rugenwaldium. Reliquae sunt mediterraneae, inter quas tamen quaedam navium commercia habent, ut Anclivium, Demin, Garcium, Grifenhagium, Stargardia, Golnovium, Grifenberga, Treptovium novum, Coslinum et Stolpium.

Demin idem quod dominium[14]) significare tradunt. Est autem Demin urbs in ripa Pani fluvii sita. Olim earum partium urbs nominatissima; illuc enim quondam protendebat limes Aldenburgensis ecclesiae.

Barthia a Longobardis condita dicitur, cum ex Norwegia propter gravissimam annonae caritatem appulissent in Rugiam. Unde in insignibus adhuc habet caput longam barbam habens. Igne periit a. 1487, sed Bugislaus XI. dedit civibus frumentum, ligna, cerevisiam et panem, ut alias aedificarent domos.

Sundium[15]) metropolis est Ducatus Wolgastensis. Gradus habet longitudinis 31 M. 14, latitudinis vero 54, M. 30. Haec spatia et doctis indicant, qua in parte mundi haec regio sita est. Tradunt Sund vocabulum esse Danicum et significare Danis angustam maris faucem. Nam cum Dania tota sit insularis praeter Iutiam et Scaniam, quae sunt peninsulae: obiacentes sibi insulae faciunt, multas esse fauces, inde Orsund, Gronsund et eius generis. Eundem in modum haec urbs obiacens Rugiae Stralsund est vocitata, quod proxima insula Strela diceretur. Nunc detorto paulisper vocabulo Stralesund appellatur a proximo mari et inter Rugiam et urbem excurrens ambasque dividens. Sic enim Stralesund quasi Strelae faux vocitatur. Ita maris vocabulum proximae urbi nomen indidit, ut sonant versus:

Annis ducentis, ter denis, mille retentis
Facta Stralsundis est urbs, cui nomen ab undis.

Hanc urbem quidam a Sunnone, duce Francorum, sicut Francofurtum ad Oderam conditam esse volunt a. 146 Sed verisimilius est, ut alii tradunt, eam a Iaromaro I., Principe Rugiae, fundatam esse a. 1230. Erat enim tum Rugia caput Wandaliae, duas insignes civitates habens, Arconam et Carentum. His in nihilum redactis aut maris inundatione submersis Iaromarus Stralsundium fundavit. Habuit olim suum principem, quem dixerunt Ducem Bartensem, iam Pomeraniae ducibus obedit.

Memorabilis obsidio multorum principum intentata est ad urbem Sundensem circa a. 1319. Nam Christophorus, Daniae rex, erat memor, quod ea urbs prisco bello steterat a partibus Marchionis adversus Ericum, fratrem suum. Eam nunc rem ultione persecuturus rex venit a mari magnis sui regni viribus, sicut et Brigerius, rex Sueciae, cum non contemnenda classe. Aderant etiam Albertus dux superioris et Ericus dux inferioris Saxoniae; Sveno, dux Hollandiae, Gerardus et Iohannes, Comites Holsatorum; Adolphus, comes de Schovenborg; Guncelinus, comes de Sverino et Henricus, dominus de Magnopoli; Pribislaus, dominus Wandaliae: magna profecto manus conspirantium in perniciem et interitum unius civitatis. Omnes autem oppugnatorum copias agmine suo infeliciter praevenit Ericus, dux Saxoniae, qui primus adequitans locum castris venientium metabatur. Cives hunc solum cernentes concepta fiducia egressi pugnant in eum, priusquam alia manus adventaret. Collata manu Dux ipse capitur et in civitatem pertrahitur. Supervenientibus a mari et a terra ceteris ad oppugnationem ceciderunt animi. Intentaverunt tamen, ad quod venerant; cives fisi

[14]) Cf. Bug. P. 1, 8; quasi dominam mundi ut tradunt ap. Krantz. V. II, 33.

[15]) Cf. Bug. P. 1, 8; quae deinde de Sundii obsidione narrantur, ad verbum fere desumpsit ex Krantz. Vand. VIII, 5; in gradibus allatis agnoscis discipulum Melanthonis.

munitionibus urbem suam tutati nihil tum incommodi accipientes. Ducis enim captivitas proceliantes fecit segniores. Aliquot igitur expugnationibus factis exercitus nihil sperantes reduxerunt. Quare tum nihil memoratu dignum (ut testantur historiae) a tam magno agmine peractum est. Captum autem ducem cives tradiderunt Wartislao VII., duci de Wolgasto, qui illum pervenire curavit in manus Ludovici, Marchionis Brandenburgici. Nec ante triennium laxata est eius captivitas. Tum enim pro redemptione fertur exsolvisse argenti puri marcas sedecim millia.

Sundenses etiam circa a. 1330 commiserunt pugnam cum Danis et victoria potiti 200 Danos ceperunt. Ferunt id imprudentia Danorum accidisse, qui dixerant, Sie wolten erſtlich famatten, ehe dan ſie Stralbuhr angingen. Populosa autem est civitas, opibus florens et mercatoribus multis frequens.

Wolgastum[16]) nonnulli arbitrantur Iuliam Augustam aliquando vocitatam esse. Ibi est aula et sedes Principis Ernesti Ludovici.

Gripswaldium[17]) gradus habet longitudinis 31 M. 56, latitudinis vero 54 M. 18. Est autem oppidum Ducatus Wolgastensis exstructum temporibus Bugislai III. Civilibus malis laborans nonnihil extenuatum est. Publicum ibi est gymnasium, cuius primus rector et praecipuus auctor fuit Henningus Rubenovius I. V. D. et eius oppidi consul, qui non tantum multa commoda ei oppido comparavit, verum etiam privilegia huius scholae a papa et caesare impetravit et institui curavit. Eadem schola clarissimorum et doctissimorum professorum omnium disciplinarum percelebris semper exstitit. Floruerunt enim ibi in theologia Alexander Scotus, Iohannes Knipstrovius, doctor et superintendens, Iacobus Rungius, doctor et superintendens, Iohannes Frederus Coslinensis, theologiae professor et superintendens Rugiae. In iuridica facultate floruerunt Laurentius Lindemann, I. V. D, Bartholomaeus Amantius, iurisperitus clarissimus et poeta insignis; Christianus Kussow, nobili genere natus, et Thomas Mevius I. V. D. Excellit et hodie Bernardus Macht, Wolgastensis I. V. D. et comes Palatinus, de quo vere dici potest, quod Homerus de Ulisse scribit: πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω. Multorum enim is cognovit urbes multasque regiones peragravit. In medica facultate D. Ambrosius Scala, M. Erasmus Holthuder Pyricensis; D. Hieronymus Oder. Artium vero professores, qui inter alios excelluerunt, sunt M. Antonius Waltherus, Eusebius Menius, Ioachimus Moeriz, M. Lucas Hetzer, M. Sigismundus Schoerkel, M. Petrus Vincentius, M. Michael Beuterus, M. Iohannes Garceus et alii quam plurimi viri excellentes.

Anglemium seu Angleem sonat idiomate germanico patriam vel domicilium Anglorum. Nam Anglos fuisse partem amplissimae et bellicosissimae gentis Suevicae, quae longo temporis tractu antiquitus habitavit ad mare Suevicum, ubi sunt hodie regiones Sedinorum et Pomeraniae, non dubiis monumentis constat. Inde vero Angli traiecerunt anno Christi 449 in Britanniam militatum ad compescendas seditiones domesticas. Nec ita multo post insula ab his nomen cum incolis mutavit, cum hos advenae pepulissent. Sed hanc migrationem non exhausisse universam gentem ostendunt monumenta veterum, quae in his terris supersunt.

Usedomia igne periit cum curia a. 1471, omniaque bona cives amiserunt, quare ad pristinum statum nondum pervenit.

Stettinum est metropolis in Ducatu Stettinensi. Gradus habet longitudinis 33 M. 20, latitudinis vero 54 M. o. Volunt Stettinum Germanicum esse vocabulum. Fuit enim olim

[16]) Cf. Bug. P. 1, 7 ex antiquis Slavorum chronicis; Krantz. Vand. II, 33.

[17]) De academia cf. Bug. P. 1. 8 et Kantz. Pom. IV.; Bernhardus Macht, quem celebrat, Chelopoeo erat in univ. Vitemb. amicus et sodalis, si quidem argumentum orationis a Chel. de angelis scriptae versibus illustravit.

vicus piscatorius oblongus cis Viadrum fluvium, qui hodie est Odera, quae oritur in profundissimo saltu Moravorum et praeterlabitur Vratislaviam, Francofurtum, Custrinum, Garcium, Grifenhagium et Stettinum ac influit in stagnum Dammense et inde in lacum recentem. Collectis autem ex hoc vico hominibus et iactis urbis fundamentis, et duce Pomeraniae superveniente ac interrogante, quid intenderent et rerum agerent, respondisse dicuntur: Is doch Stad dine, hoc est, quam conderent, suam esse urbem. Nam tum in lingua Saxonica nondum erant satis exercitati. Vocetur igitur, inquit, Stattin. Nunc detorto paulisper vocabulo et mutata a in e Stettin appellatur. Aliis placet, Stettin nomen habere a ſtete in, quod assiduus terra ac mari accessus et recessus sit. Quotus enim quisque accedentium et recedentium invenitur, cui non aliquis praesertim in aggere, quem Stettinensem vocant, obviarit. Post susceptum Christianismum et destructam Winetam translato illuc emporio coepit amplificari et extendi. Habet amoenissimum situm, qui ab imo decurrentis Oderae in adversum clivum erigitur, vallis ac moenibus roboratur. Ibi est sedes illustrissimi principis Barnimi X. (quem B. omittit) et Iohannis Friderici. Est urbs bene exculta moribus et literis, habet etiam splendida et magnis sumptibus exstructa templa. Barnimus enim primus ex monasterio fecit collegiatam ecclesiam Divae Mariae virgini sacram. Beringarius Bambergensis fundavit pulcherrimum templum S. Iacobi et ius prioratus Bambergensibus permisisse dicitur. Est et Stettini paedagogium, quod celebre reddidit Christophorus Stymmelius, trium linguarum doctissimus theologiae doctor. Huius scholae rectores fuerunt M. Antonius Walterus, M. Caspar Landtsidelius, homo multae lectionis et hodie M. Mattheus Wolfius (B. M. Ionathas Gutzlaff Stolpensis, M. Martinus Ruhelius Stargardensis et hodie M. Conradus Bergius Colbergensis). Conrectores vero hactenus fuerunt M. Michael Conradus, M. Petrus Lorcetzius, M. Andreas Kram, M. Iohannes Roesel, M. Petrus Chelopoeus, M. Georgius Engelcke, M. Andreas Schade (B. M. Iohannes Slake, M. Ioachimus Frisius et alii quam plurimi, hodie M. Lucas Tabbertus Stettinensis, subrector). — A. 1572 novus pons ante Stettinum exstructus est.

Grifenhagium et Garcium aedificavit Barnimus I. cognomento Bonus.

Pyritia[18]) formam habet rotundam et in planitie sita est; itaque omnium munitissima reddi posset. Nomen habere a πυρὸς, quod Homero significat triticum, consentaneum est. Sita enim est cis Madduium in eo tractu, ubi praecipue crescit triticum, qui tractus vulgo appellatur Im Weiz-Acker. Et quia ibi terra est fertilissima, copiose producit siliginem, triticum, hordeum, avenam et similia eius generis. Pyricenses sunt liberales etiam erga exteros in porrigendo cibo et potu, nec libenter aliquem dimittunt ieiunum. Non exercent cives mercaturam, sed agriculturam, qua (ut scribit Cicero) nihil est melius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. Res enim familiaris quaeri debet his rebus, a quibus abest turpitudo. Apud eos tanto in pretio habetur musica, ut fere nullum sine ea celebretur convivium, quae alioqui ibi sunt frequentissima. Hoc oppidum etsi in finibus situm et saepenumero obsessum est, tamen alienis dominis nunquam fuit subiectum. Adeo fortiter pro patria pugnarunt cives tantamque praestiterunt principibus et dominis suis fidem. Hanc quoque urbem Barnimus X. prae ceteris commendavit et praedicavit ob praestitam ei semper obedientiam. — Pyritia a. 1478 bello posteriori (nam a priori decennium intercesserat) ab Alberto, marchione Brandenburgico, magna manu pridie Iacobi obsidione pressa est. Erat tum in eo oppido Bogislaus XI., dux Pomeraniae, quare adeo vehémenter restiterunt Alberto marchioni oppidani, ut post quatriduum discedere coactus sit. Habuerunt tum Pyricenses bombardarum magistrum, qui de turri contra plateam Banensem obsidentes magno affecit damno ac marchioni cibum de mensa removit;

[18]) Cf. Bug. Pom. 1, 8 Piriscum, quod primum Christi trophaeum intromisit; praeterea vide Kantz. Pom.

certus enim erat ferire, quicquid peteret. A. 1496 die Petri ad vincula incendio periit fere unum latus civitatis prope portam Banensem. A. 1543 die lunae post Laurentii vesperi circa horam decimam quarta huius oppidi pars, quam vocant monachalem, negligentia servi Martini Svemeri similiter igne periit. — A. 1554 exstructum est horologium quatuor partes uniuscuiusque horae notans. A. 1562 ibi nova turris cupro tecta aedificata est. A. 1563 mense Octobri ibidem grassari coepit pestis et desiit sequenti anno in mense Octobri. Mortui autem sunt circiter 1100. A 1568 maxima ex parte absolutus est agger infra portam Banensem et molam lanificum. A. 1572 in auctumno exstructa est anterior pars curiae diruta veteri.

Stargardia gradus habet longitudinis 33 M. 50, latitudinis vero 53 M. 50. Hanc praeterlabitur Inaus fluvius. Est autem Stargard nomen Wandalicum significans lingua Saxonum idem, quod Altenburg. Nam Stari wandalice significat Alt et Garde Burg, inde Stargard hoc est Altenburg. Vetus enim fuit arx prope Stargardiam in nemore, quod adhuc Stargardenses appellant das Kahholz. Huius arcis vestigia hodie ibidem conspiciuntur; qui autem hanc arcem possederunt, dicti sunt die Burgherren, quorum agri divisi fuerunt ab aliis Stargardensium agris. Stargardia inter urbes coepit annumerari a. 1243, nam antea pagus fuit, ubi adhuc est suburbium. Huius urbis privilegia antea ab aliis principibus data Barnimus I., dux Wandaliae, non solum confirmavit, sed eandem novis privilegiis auxit: donavit quoque Stargardenses iure Magdeburgensi a. 1243 die Iohannis Baptistae. Bugislaus V. suo et fratris nomine fecit Stargardenses ob saepe praestitam fidem liberos a vectigali a. 1280 die Gregorii. Conradus, marchio Brandenburgicus, occupavit Stargardiam, sed eam Bugislaus V. occupavit et vindicavit a marchionibus a. 1282 die 28 Octob. et muro cinxit. Hic Bugislaus ablato iure Magdeburgensi donavit Stargardenses iure Lubecensi a. 1292 (Itaque apud eos severe puniuntur delicta; non enim dant veniam corvis, nec rapacibus ignoscunt, sed in quemlibet delinquentem exercent poenam legum;) atque in gratiam Stargardensium destruxit arcem suam a. 1299. Wartislaus V. confirmat Stargardensibus privilegia a maioribus suis data a. 1311. Haec urbs inprimis grata et accepta est ducibus Pomeraniae ob praestitam saepe fidelem[19]) operam. Non adeo facile cedunt Stargardenses, sed pro iure acriter et viriliter sua defendunt. Hinc fere omnium sunt locupletissimi. A. 1540 subita orta tempestate et vento validissimo conciderunt ibi altissimae turres duorum templorum cum turri maris rubri et anterior pars curiae. A. 1549 ibi scholam trivialem frequentissimam aperuit Georgius Schermerus Pomeranus Frigenwaldensis. A. 1569 ibi diruta veteri aedificata est nova curia.

Iulinum[20]) a Iulio Caesare fundatore nomen habere nonnulli tradunt, sicut Wolgastum olim Iuliam Augustam vocitatam esse, et Tribbesees quasi tributum Caesaris. Sunt sane istae consonantiae in lingua Wandalica ad latinam, sed a Iulio Caesare nominata ista non fuisse certum est. Nam is bis transito Rheno ex Galliis tetigit Germaniam, sed statim rediit in Galliam reductis copiis per pontes, quos in flumine stravit, ut ipse Caesar testis est in commentariis suis. Si quis tamen nomina memorata contendit esse origine latina, fieri potuit, ut Wandalicae nationis principes cupidi visendarum regionum Albimque transeuntes aliquamdiu militaverint per Germaniam, qui regressi narrantes, quae viderint, et nomina latina ad imitationem Romanorum suis indiderint castellis.

---

[19]) Cf. Bug. P. 1, 8 Cuius fidelitas erga principes praeclaraque gesta in Pom. gentis adversarios atque aequitas in malis corrigendis adhuc auditur ex ore omnium et, quae iam dudum potens fuit, nondum posse desiit.

[20]) Sua petivit ex Krantz. V. II, 33; cf. Bug. P. 1, 7.

Caminum cum plancis a Barnimo I. fundatum est a. 1260 estque Caminum nomen Wandalicum a dictione Caminiki, quae Wandalis significat melanurum, ein Kaulbahrs, cuius generis pisces ibi inprimis capiuntur.

Stettinum novum condidit Wartislaus VII. a. 1313.

Grifenberga temporibus Barnimi, qui fundavit Stettini templum Mariae, exstructa et muris circumdata est illudque oppidum tunc Barnimus nominavit Neuſtadt.

Colberga a Barnimo I. episcopatui Caminensi donata est a. 1277. Haec autem urbs etsi iuris ecclesiastici erat, parum tamen parere ecclesiae habita est. Quare a. 1462 profunda iam hieme, cum tenebrae noctis essent iam profundiores, nonnulli militares, inter quos fuit Dionysius de Osten, eques auratus, inierunt consilium urbis capiendae. Admoverunt iam muris scalas, ut transcenderent, sed exciti cives rem paene sero cognoverunt. Itaque provolant in muros et deturbatis hostibus urbem suam defenderunt. Fugiunt hostes proiectis armis, quae attulerant.

Stolpium[21]) nomen Wandalicum est, nam stulpan significat sedes domini, procul dubio enim ibi quondam aula fuit. Est civitas fecunda ingeniis et non tam divitiis inclyta, quam fide praestita suis dominis. Haec enim civitas, cum ordini fratrum Teutonicorum 2766 marcis puri auri oppignerata esset, illam pecuniae summam confecerunt cives et λύτρον persolverunt.

Fuit et inter Svenum fluvium et Rugiam sita Wineta[22]), quondam urbs clarissima et nobile Wandalorum emporium, tantis opibus, tantis mercatorum negotiis frequens, ut vix aliud par illi tum Europa videret, quod tum florebat. Nam ibi Russi, Dani, Sorabi, Slavi, Saxones, Wandali et aliae gentes, quae non erant Christiani, suos vicos et plateas incolebant. Ac tametsi in honestate et aequitate educati, nec ulla gens moribus et hospitalitate honestior

---

[21]) Cf. eadem ap. Lag. p. 55.

[22]) Vix quisquam, qui rem accuratius perpenderit, hoc tempore dubitare poterit, quin Adami Bremensis „nobilissima civitas Iumine in ostio Oderae sita“, quam Helmoldus deinde Vimnetam v. Iumnetam dictam suo tempore funditus a Danorum rege eversam ferebat, a Normannis Danisque vulgo arx Iom v. Iumne, a Svennone, Agi filio, eodem iure Hymnisburg vocitata ab urbe Iulino, quo nomine recte a Saxone Grammatico et deinde ab Ottonis vitae scriptoribus nuncupatur, vel a Wollino, qua voce inde a XII saeculo Slavice dicitur, iterum iterumque everso et restituto nihil diversa sit. Sed verba ab Helmoldo addita: „Praesto sunt adhuc antiquae illius civitatis vestigia“, quae quidem postea alii aliis locis vel in ipso profundo mari indagasse et exquisivisse videbantur, multas multis hominibus acceptas fabulas excitarunt. Celebratissima enim illa urbs propter impietatem incolarum religioni Christi infestissimorum supplicii causa maris fluctibus submersa et volenti animo ab omnibus credebatur et, quamquam historiae fide minus probata, insigni omnibus exemplo et admonitioni erat proposita. Etiam Ch. docet, quomodo tunc maxime fabula illa de Wineta urbe pervagata turbas movere coeperit. Postquam enim Krantzius V. 1, 1 scripsit: Sunt oppidis ut hominibus sua fata, stata tempora, quibus evolutis paullatim decidunt: cui rei exemplum ea regio prodit oppidum Iulinum, olim nulli clarissimarum urbium secundum, multas etiam praeclaras opibus et structuris exsuperaus, nunc qua cerni potest tenuitate contractum — ut etiam rectum sensisse videatur — c. 19 tamen Saxonis Iulinum ab Helmoldi Vineta distinxit, quamquam denuo dubitans c. 22 addit: nisi eam ad exitum vivi Divenow in mare fuisse dicamus, Archon aut Iulinum extitisse dicemus. Iam vero Bugenhagius, qui in terra Usedomensi prope Swinam cuiusdam nobilis civitatis reliquias ostendi tradidit, et Kantzovius fabulam istam de Wineta maris undis olim obruta et etiam tunc non procul a ripa sereno coelo in perlucido mari perspicua prae ceteris moverunt. Quorum auctoritate deceptus etiam Chelopoeus paucis omissis in iis, quae de Wineta narrat, totum Krantz. Vand. II, 32 et 33 sequitur, ita tamen ut omnia, quae recte Kr. ex Saxone de Iulino narrat, mutato temere nomine de Wineta, quod ipse non vidit, ab illo sane nihil diversa repetat atque deinde de vestigiis illis ipsa Kantzovii verba ex Pomerania addat. Apparet igitur, quo modo primum fere Bug., eumque secutus Kantz. maxime istum errorem vixdum delendum de Wineta excitarint et credulis hominibus, qui rebus fictitiis magis quam veris et historiae fide comprobatis delectantur, in perpetuum, ut videtur, inculcarint; cf. praeterea, quae bene hac de re disputavit R. Klempin in Stud. balt. XIII p. 1 sqq.

aut benignior inveniri potuit, ut testis est Helmoldus, tamen Christianorum nomen illis maxime invisum fuit. Olim haec urbs multa est passa a regibus Daniae, potissimum autem a rege Svenone, qui bellum indixit Wandalis patris sui, iam hostis, receptatoribus. Nam constitutis induciis cum Heraldus pater incuriose ambularet in nemore in eoque sagitta letaliter ictus esset, in Winetam, Wandaliae oppidum, quod filio minime fideret, se iussit deportari. Sed nec illi segnes excipiunt animo et opibus non impares. Fit pugna ut frequenter navalis, victoria diu communi marte volavit, demum Wandalorum navibus insedit. Captus Zveno aut Zvenotto rex in proelio, abducitur in Wandaliam, gravi aere per intervallum soluto redimitur. Pristina bella renovat Zvenotto; eadem illum, quae prius, fortuna insequitur vindicante Deo iniuriam reiectae religionis. Iam pristina redemptione exinanitis regni thesauris, cum in promptu aurum non adesset, datis vadibus et priorum in regno procerum filiis obsidibus regreditur, nec sic quieturus. Nam tertio quoque belli sortem in eosdem statuit hostes experiri. Sed tertio captus rex Winetam perducitur manifesta illum vindicta prosequente, quod in parentem impius et in omnium parentem Deum esset sacrilegus. Haec Crantzius II, 33. Dimissus est autem liberalitate matronarum, quibus gratiam rependens constituit, ut puellae et feminae sicut masculi in legitima hereditate indifferenter succederent. Ericus, Daniae rex, proceritate et robore corporis insignis, mortuo fratre Olao bellum intulit suis temporibus Winetae, quod Daniae regno proscriptos foverent et inde piraticam in Danos cum proscriptis exercerent. Arcta cinxit rex obsidione oppidum adegitque habitatores dedere profugos et Daniae proscriptos, in quos insigni iussit saevire supplicio, quod patriam impugnaverint et quosdam nobiles in mari captos peremissent. Nam deligatos ad palum nudari iussit, ventrem in longum novacula scindi, viscera profundi et cor extractum viventibus ostendi. Pacatae hoc modo res paucorum supplicio videbantur, sed Wandali obsidionem suam ulturi, cum rex aliis bellis implicaretur, Daniam vastant, obvios obtruncant et hostilia cuncta saevientes exercent. In quos secundo et tertio rex ducens ad aequas pacis conditiones rem sinit pervenire. Tandem vero Waldemarus rex a. 1170 Winetam non satis a pristinis cladibus respirantem captam et direptam incendit. Ex quo die Wineta, quam a Billungo extructam affirmant, olim tam praeclara et potens urbs, ad fatum suum non pervenit, sed tandem inundatione periit. Huius urbis mentionem sine laude transire non potui, ut mortalium rerum specimen praecipuum in eius ruina intueamur. Vestigia manifestissima adhuc hodie extant, et in aquis sereno coelo conspici possunt. Situs eius ab ortu in occasum in longitudinem circa milliare Italicum, latitudo maior fuit, quam nunc urbis Lubecensis. Inde apparet, quam insignis et praeclara urbs fuerit Wineta.

Dantiscum[23]) etiam ante annos ducentos septuaginta quinque obediit ducibus Pomeraniae ulterioris, a quibus etiam contra Danos conditum est a. 1164, ut infra monebimus.

---

[23]) Cf. Bug. P. 1, 10. Vide praeterea, quae diligenter de urbibus Pom. G. Kratzius conscripsit.

Tertium caput.

De origine Pomeranorum.

Multae ac variae exstant opiniones de Pomeranorum origine. Annumerantur quidem Pomerani[24]) et Wandali iuxta descriptionem Ptolemaei et Cornelii Taciti inter Teutones et Suevos, qui has regiones tenuerunt, donec a Caesare Augusto devicti sedem suam apud Rhenum et Marchiam quaerere coacti sunt. Constat etiam, aliquam huius terrae partem tenuisse Longobardos, qui ex Norwegia se in has sedes infuderunt. Nam cum ibi gravissima annonae caritate premerentur et iacta sorte excederent, omnes puberes, viri et reliqui grandiusculae aetatis relictis mulieribus, pueris et senibus appulerunt in Rugiam et expulerunt Rugianos et occuparunt eorum loca seque Longobardos nominarunt. Eusebius scribit, id exstitisse anno post natum Christum 384. Credibile est igitur, Longobardos tunc condidisse Barthiam, oppidum a Ptolomaeo Buritium dictum. Unde adhuc in insignibus civitas illa prolixam habet barbam. Sed de nominis huius gentis etymologia non convenit inter scriptores. Nam sunt, qui a barbarum propensa longitudine nomen arbitrantur gentem adeptam. Aliis visum est, hanc appellationem illis provenisse a Saxonibus eorum agminibus immixtis, quod Barbos appellari solitos Saxones tradat antiquitas. Alberto vero Crantio verisimile videtur, ab Italis hoc nomen provenisse Longobardis. Nam homines statura ceteris proceriores appellarunt Longobardos, quasi barbaros. Rugiani vero a Longobardis expulsi in ulteriora Pomeraniae loca, quae vocamus den Gollenberg, recesserunt et condiderunt oppidum Rugienwolde, cuius incolae sic dicti quasi Rugiani vagabundi. Tandem cum Longobardi invasissent Pannonias et inde evocati essent in Italiam contra Gothos et potiti sunt magna parte Italiae, quae ab illis adhuc hodie nomen retinet, reversi sunt Rugiani in Rugiam et pristinas suas occuparunt sedes easque contra omnes hostes in hunc usque diem defenderunt, ut ex Cornelio Tacito et aliis constat.

Pomeraniam et Prussiam etiam tenuerunt populi, quos Cornelius Tacitus nominat Rugianos, Aviones, Anglos, Varinos et reliquos, quorum discerni sedes multo minus possunt, quam ceterorum Germanorum. Nam praecipue hae gentes ab Albi ad utramque Vistulae ripam propter bellandi studium et consuetudinem passim vagantes subinde sedes mutarunt.

Ac quia Wandali recensentur inter Germanos, ut dictum est, ideo sunt, qui contendunt, Wandalos nequaquam esse Slavos seu, ut vocant, Wenden. Et Procopius ait, Wandalos esse Gothicam gentem. Gothos autem usos esse lingua Germanica et oriundos fuisse a Germanis plurimis persuasum est.

Sed Philippus Melanthon descriptione Ptolomaei et ipsa appellationis vetustate motus, Wandalos gentem Sarmaticam esse existimat, quos vocamus Wenden. Nec mirum est, etiam antiquissimis temporibus Sarmatas, qui saepe mutare sedes solebant, in viciniam effusos Germanis admixtos esse. Sunt autem variae illius gentis appellationes, quarum aliquae sono non multum discrepant, Venedi, Feuni, Wandali, alibi Sclavi vocantur.

Universam hanc gentem ab Henetis ortam esse arbitrantur, quos Herodotus affirmat ex Asia egressos in Illyrico consedisse. Ab his Henetis et ora Italiae Venetiae dictae esse

[24]) In descriptione antiquissimorum Pom. incolarum maxime Kantzovii Pomeraniam sequitur iis additis, quae Melanthon de Henetis a Sarmatica gente ex Asia oriundis et deinde Germanicorum populorum ad mare balticum habitantium vel sociis vel dominis iis quidem Sclavis v. Wendis dictis protulit; cf. etiam Boehm. p. 244 sqq. Quae de Longobardis et Rugianis affert, ad verbum fere ex Lago p. 10 sqq. hausit, sicut ea, quae deinde de Lecho sequuntur, ex Polonorum chronicis repetuntur; cf. Bug. P. 1, 3 et Boehm. p. 275; de Griphonibus cf. Bugenh. Pom. I, 12.

existimantur. Egressi autem vel ex Illyria vel ex ipsa Asia compleverunt vicina loca ad septentrionem, ubi nunc sunt Poloni, Wandali et Cassubii, ac oppresserunt veteres Teutones et Rugianos usque ad fluvium Salam et Visurgim. Dicuntur autem Heneti Antenore duce ex Asia educti, idque accidisse circiter annum Christi sexcentesimum ex historiis constat. Sed discernendi sunt Heneti a Sarmatis, id est Tartaris. Nam Heneti, gens Asiatica, origine, lingua, moribus et vitae institutis longissime differunt a Tartaris. Ac Heneti proxime cinxerunt Germanos, ultra hos deinde sunt Tartari. Et postquam nunc Heneti utramque Vistulae ripam tenent dederuntque illi regioni nomen Poloniae, tamen olim ea loca ad Germaniam pertinebant. Postea pulsis Germanis Heneti soli illis potiti sunt.

A. 1040 Henetorum ac totius Poloniae rex erat Lechus atque hae regiones a maioribus Svantibori gentilis administratae sunt. Non igitur quis existimet, seu Polonos seu Wandalos seu Venetos seu Sclavos Scythicam gentem esse, sed de Henetis propagatos esse. Tota autem stirpe Lechi sublata, Polonia et Sclavonia et Wandalia separatae sunt. Nam proceres et nobiles apud Gnesnam de constituendo alio principe deliberantes consenserunt, ut reiecto voto subiectionis absque principe libertatem sectarentur et pro administranda unicuique iustitia ac obeundis reipublicae officiis, prout illa tempestate sat videbatur, elegerunt duodecim Woywad, hoc est Palatinos; et is modus eligendi atque hi proceres usque in nostram aetatem permanserunt.

Svantiborus autem retinuit maiorum suorum et suas regiones et usurpavit titulum Pomeraniae, Sclavorum et Wandalorum, ac usi sunt tum Pomerani lingua Wandalica sive Sclavonica moribusque suis vixerunt, donec post fidei susceptionem et Romani imperii incorporationem introducta fuit lingua Saxonum, qua hodie incolae utuntur. — Vetustiorum autem ducum Pomeraniae res gestae et nomina sunt obscura. Antiquissimis enim temporibus non propter stemmatis lineam, sed prout quisque rebus bene gestis clarus et ad imperium idoneus fuit, honor principatus attribuebatur. Nam quod per electionem susciperentur, hoc aequius administraturos arbitrati sunt. Exstat in historiis nomen Barnimi, ducis Pomeraniae, qui fuit in primis torneamentis Henrici I. Imperatoris. Exstat et nomen Wartislai, qui obiit a. 1038, et Mestvini nomen, ducis Pomeraniae et Cassubiae gentilis, sub Ottone II. Caesare.

Griphones tum vocitatos esse ab insignibus, quae usurpaverunt, magno consensu traditur. Ex hac gente Griphonum natus est Svantiborus, qui posteritatem hanc, quae nunc rerum potitur, circiter annos quingentos non intercisa stemmatis linea singulari Dei beneficio propagavit. Ab hoc igitur Svantiboro deducemus infra genealogiam illustrissimorum ducum Pomeraniae eorumque gesta describemus usque ad haec nostra tempora.

Sunt autem Pomerani homines proceri, navantes benevolentiam, patientes laborum, subtristes, fideles, taciturni, misericordes, libenter alteri inservientes, in rebus gerendis constantes, non blandiloqui et garruli, sed sinceri et veraces. Ac quantopere[25]) fugiant mendacia, ament iustitiam et veritatem, etiam vulgaria ipsorum proverbia testantur. Verissime enim dicitur: Qualis vir, talis oratio; nam oratio est index et character animi. Ad mendacium dicunt: Eine offenbare Lügen iſt eines Maulſchlags werth. Et in contractibus: Gleich und Recht währet zum längſten; item: Recht thun iſt keine Sünde. Magna eorum virtus est et in pactis fides. Ingenia habent sane graecum quiddam referentia, eo quod (in) Asia vicini Ionum, in

[25]) Quae de moribus Pom. sequuntur, ad verbum ex Lago p. 54 desumpta sunt, qui etiam addit: Et quod omnium Praeceptor D. Philippus laudibus vehit: Jdt ſteit yn guter Handt. Ita enim dicunt, quando familiariter certant, uter prior bibere debeat, ad eum, qui poculum manu continet: Bibe tu prior, es ſtehet yn guter Handt. Hoc ita D. Praeceptor explicat, quomodo Cicero ad Iulium Caesarem locutus est dextram fide et virtute praestantem.

Illyrico graecarum disciplinarum fuerunt capacia. Ac florent apud eos artium et doctrinae studia. Colunt studia literarum etiam nobiles. Ac[26]) testis est Melanthon, non facile alibi posse reperiri tot homines nobiles multa et eleganti eruditione praeditos, ut in Pomerania.

Qui autem hoc nostro saeculo a consiliis et secretis Principum fuerunt et adhuc sunt, usu rerum spectati, nobilitate generis et eloquentia praestantes ac eruditione admirabiles sunt. Bartholomaeus Suavenius postulatus, Ludovicus Comes ab Eberstein et Dominus de Neugard; D. Balthasar Sylvius et Henningus, eius frater, Ulricus Sverin, Iacobus et Antonius Zitzevitz, agnati, Valentinus et Alexander ab Eichstedt, fratres, Iacobus Kleist, nunc Cancellarius, (B. canc. olim, nunc vero [in margine asc. a. 1582] Henricus Ramel de Wusterfitz,) Nicolaus Klempzow, Andreas Borcke, Gerardus et Georgius Below, Iacobus, Michael et Christianus Kussow, fratres, Dionysius Bonin, Otto Rammin (B. add. Henningus Rammin), Iacobus Wobeser, Georgius Ramel, (B. add. Daniel Kleist, Ioachimus Woitke). Excellit et Georgius Suavenius (B. in Damnitz) virtute et doctrina. Sed omnes equestris ordinis viros Pomeraniae, quos Italica tellus multo doctrinae genere expolivit atque erudivit, enumerare nimis longum foret. Praeter hos etiam in aulis Ducum Pomeraniae virtute, doctrina, eloquentia excelluerunt (B. et partim adhuc florent), Iohannes Falcke, D., et Laurentius Otto, D., olim Cancellarii, Autor de Svalenberch, (B. Philippus, Iacobus Oseler, Doctores,) D. Erasmus Hohenhuse, D. Iacobus Scultetus. (D. Ioh. Luebcke, Bernhardus Machtius, D. Gallus Becke, Dr. Ionathas Gutzlafius.) In urbibus vero antecellunt Iacobus Moring, (B. Iac. Steinhort,) Dr. Mich. Kockenbecker, (B. Dr. Ioachimus Egerus), Dr. Matthaeus Winsius, M. Iohannes Wolf, M. Ioh. Finckius, et alii quam plurimi.

Neque vero Pomerani tantum ingenuis et liberalibus studiis, verum etiam armis et militia excellunt. Tanta enim eorum in re militari est virtus, ut eorum arte et peritia reges ac principes passim utantur. Nam Ioachimus Zitzvitz Gallicis signis aliquoties praefuit; Iacobus Kussow senior exercitum duxit in Ungariam; egit et Sebastianus de Wedel militiae ducem multis annis et fortiter pugnavit. Quid de Christiano Manteufel et Ernesto Wegero, item de Iacobo Kussow, Marschallo, Adriano Gatzkow et Georgio Podewils dicam? quorum virtus in his bellorum tumultibus satis spectata est. Excellunt et Reimarus de Walde, Michael Glasenap, (B. Nicolaus Tornovius), Wolfius et Hassius de Wedel, agnati, aliique innumerabiles, qui magnum sibi nomen et magnas opes scientia rei militaris compararunt.

Quartum caput.

De conversione et religione Pomeranorum.

Hactenus de situ, fertilitate, fluviis, provinciis et urbibus Pomeraniae eiusque gentis origine dixi, nunc de conversione et religione Pomeranorum. Tota ora maritima ab Holsatia usque ad Livoniam olim inhabitata fuit a Wandalis seu Sclavis, inter quos numerantur Megapolenses, Brandenburgenses, Pomerani, Rugiani et Livonienses, qui in universum conspirarunt in subversionem fidei christianae. Et quamvis saepe persuasi et adducti, aliquando etiam coacti ad recipiendam fidem christianam, tamen hoc faciebant simulato corde et ad horam; nam illico reversi sunt ad vomitum. Quare contra eos pugnavit Carolus Magnus et post

[26]) Verba sunt Lagi p. 42, qui deinde etiam copiosius laudes singulorum virorum, maxime nobilium, effert; cf. Vincent. vitam Bugenh. op. Mel. XII. p. 296.

cum alii Caesares, quousque tandem expugnati et victi ad Christum conversi sunt. Misit enim Ludovicus II. cognomento Pius a. 1025 monachos de Corbeia egressos sanctitate insignes, qui praedicarent evangelium primum Rugianis, deinde finitimis. Et quia res bene successit, ibi etiam oratorium fundarunt in honorem Salvatoris nostri et in memoriam S. Viti Corbeiensis patroni. Caesar vero tributum, quod ei dare soliti erant Rugiani, dicavit S. Viti monasterio in Carnia, quo semel atque iterum detulerunt. Tandem vero, cum Caesar multis vexaretur bellis, Rugiani a fide defecerunt, statim pulsis sacerdotibus atque Christicolis religionem verterunt in superstitionem. Nam beatum Vitum, quem nos sanctum martyrem et Christi servum electum confitemur, pro Deo coeperunt venerari, creaturam anteponentes creatori. Hunc Svantevit appellarunt atque ei dederunt tributum, quod antea in Carniam miserant. Intus vero in urbe Arcona (ut testantur historiae[27]) grata planities fanum habebat religione vana simulacri celebratissimum. Ingens in aede simulacrum humani corporis formam granditate supergressum quatuor frontibus stabat subnixum, duabus ante et totidem retro patentibus in dextrum tamen et laevum detortis; dextra tenebat cornu meri plenum et sinistra arcum. Semel quotannis post lectas fruges mactatis ante ostium victimis solemne gentis epulum erat. Aedem sacerdos versabat spiritu oris compresso, quem quoties renovare opus erat, ad ostium decurrit, ne humano halitu numinis praesentia offenderetur. Primo mane excubante ad fores populo sacerdos ingressus cornu, quod priore anno impleverat, contemplabatur, et si eadem plenitudinis mensura responderet, uberiorem pronunciabat messem futuram; si qua parte minutum, diligentius iussit conservari fruges, quod caristia immineret. Tum vetus merum delibans ad pedes simulacri profudit repletumque hausit, atque in eandem formam mero plenum dextrae numinis restituit. Placentam quoque ea magnitudine adhibito mulso effinxerunt in formam rotundam, ut post eam homo latere potuerit. Sacerdos eo decurrens se abscondit orans, ut futuro anno minus quam nunc conspiciant. Equum praeterea candore niveo alebant, solius sacerdotis ministerio attrectandum. Hunc equum auspicari faciebant bellum, quod illis imminebat. Nam si dextero pede locum signatum tangeret, faustum, si sinistro, infaustum ominabantur.

De omnibus Wandalorum provinciis inde responsa petebantur et sacrificiorum annua libamina persolvebantur. Sed neque mercatoribus, qui forte illas appulerunt sedes, fuit ulla facultas distrahendi sua aut comparandi alia, nisi prius deo suo de mercibus persolverent. Flaminem suum non minus quam regem (B. quam Deum) venerabantur. Solebant etiam christianum hominem inter libamina quandoque offerre deo suo, cuius cruore deosoblectari iactitabant. Vulgo autem duos coluerunt deos, nempe Belbock et Zarnebock, quasi album et nigrum deum et satanam, quasi boni et mali auctores iuxta Manichaeorum errorem. In hac idololatria ultra annos centum permanserunt Rugiani maritimi, nam Carolus II., Ludovicus III. et Conradus I. aliis bellis impediti fuerunt, quominus eos domare possent.

Conatus est autem Henricus I. auceps cognominatus caesis Hunnis seu Hungaris apud Mersburgum conterminas gentes, Wandalos ad mare usque ad christianam fidem compellere. Ac deinde Otto I., filius eius, tanta virtute illas constrinxit, ut tributum penderent et christianismum subirent, baptisatusque est magnus gentilium populus, praesertim in Marchia Brandenburgensi et regione Megapolensi. Saepe fuit alias tentatum cum Wandalis, ut ad Christi religionem traherentur; sed tributorum gravissima exactio, quam Saxones impendere solebant victis Wandalis, adeo deterruit gentem, ut christianismi inde conciperent odium et Saxonibus subesse morte gravius ducerent ac ad vomitum gentilitatis redirent.

[27]) Ex Krantz. Vand. V, 12 quidem sua ad verbum fere pluribus omissis repetit.

Àpud Winulos, hoc est Pomeranos, qui ad Windum fluvium, hoc est Oderam, habitabant, primus Rex Bilug[28]), qui et Ottonis I. temporibus latissime dominabatur, in maritima Wandalia a Wisla seu Vistula fluvio usque ad vicina Cimbrorum seu Iutiae christianismus innotuit. Is mortuus est a. 980 relinquens filios Mizislam, Nacon et Sederich, qui Christum palam quidem confitebantur, sed clam persequebantur.

Populi ad mare habitantes, quia ferociores semper erant, non passi sunt ad se venire, qui fidem Christi disseminaret. In urbe enim Wineta lege cautum fuit, ne quisquam advenarum novae religionis mentionem faceret. Ob hanc causam omnium illi novissimi ad fidem Christi pervenerunt. Tametsi et mediterranei religionem semel acceptam non satis constanter servarunt. Introrsus autem ad orientem Ottone III. Imperatore Bugislaus, Polonorum Dux, quem idem Otto anno Christi 1001 regem salutavit, omnem Wandaliam usque ad Oderam suis subiiciens tributis ad doctrinam Christianae religionis cogebat. Coeperat igitur ab illa quoque parte orientis rutilare evangelium Christi.

Occasio[29]) autem conversionis Pomeranorum hoc modo data est. Quidam Hispanus, cui nomen Bernhardo, sanctitate praeclarus, ab heremitica vita tractus Romae in locum schismatici episcopi subrogatus est. Hic inter suos schisma non ferens et intelligens, Pomeranos ethnicis adhuc implicitos esse erroribus, eos accessit. In itinere vero a rege Poloniae honorifice exceptus est, et quamvis audiret, tantam esse Pomeranorum ferocitatem, ut prius eum occiderent, quam christianam doctrinam acceptarent, his tamen nihil territus accepto a Bolislao interprete iter persequitur et in Pomeraniam venit. Sed humilitatis discipulorum Christi memor, despecto habitu nudisque pedibus oppidum Iulinum ingressus verbum Dei constanter docere exorsus est. Ac cum se Bernhardus nuntium Dei profiteretur: Gloriosus, inquiunt, Deus non tam despectos habet ministros; quare consule tibi et revertere, unde accesseris. Interea dum haec dicuntur, Bernhardus zelo Dei securim forte arripiens in statuam, quae in honorem Iulii Caesaris in medio foro exstructa fuit, fortiter impressit. Quod cum pagani aegre molesteque ferrent, Bernhardum male tractant eumque graviter caesum relinquunt. At ipse a sacellano suo erectus rursus de Christo concionari coepit. Quare sacerdotes ethnici Bernhardum, sacellanum et interpretem eius naviculae imponunt iubentes, ut praedicandi ardorem et piscibus et volatilibus, quibus otium est, communicet. His peractis ad regem Poloniae revertitur eique narrat omnia, quae gesta essent. Inde Bambergam adiens a S. Ottone susceptus est et de omni Pomeranorum statu diligenter interrogatus ait: Fera gens est, quae secundum faciem tantum indicat hominem. Tu igitur, si eorum saluti consulere velis, cum splendore divitiisque et nobili comitatu ut aggrediaris necesse est. Natus est autem hic Otto a. 1069 a Bartholdo, Comite de Andex, ac factus est episcopus Bambergensis aetatis suae 33.

Hisce autem temporibus, quando S. Otto Suevus Bambergensem regebat ecclesiam, Bolislaus, Poloniae rex, crebris insultibus vastare et populari Pomeraniam coepit. Et quia Pomerani gentili tenebantur errore, statuit eos aut gladio ad Christi fidem compellere aut Pomeraniam penitus vastare. Sed cum nullus episcoporum Poloniae Pomeranos accedere auderet, Bolislaus dilectum sibi Ottonem ad hoc ingens onus invitavit. Otto igitur a. 1124

---

[28]) Cf. Krantz. V. II, 40.

[29]) Quae de Bernhardo et Ottone sequuntur, omnia ex Bug. Pom. II, 11 sqq. sumit, ita quidem, ut narrationem multis omissis arctius contraxerit, paucula, ut nomina uxoris fratrumque Wartislai, addiderit, structuram verborum paullulum, sed non semper bene mutaverit; velut Bugenhagii verbis: ubi haec acta sunt, male correctis ipse scribit, ubi haec acta essent.

Caesaris Henrici V. temporibus licentiam Pomeranis praedicandi a papa Calisto II. vel, ut alii volunt, ab Honorio II. impetravit, ac post Divi Gregorii festum iter ingreditur intrepidus omnia agens, uti a Bernhardo acceperat. Appropinquanti Bohemorum terrae Ladislaus, Bohemiae rex, legatos in occursum mittit, qui eum Pragam versus in regis praesentiam deducerent. Postea rex comitatum et hospitia usque in Poloniam dedit. Ibi Bolislai legati occurrunt et Ottonem ad episcopum Vratislaviensem primo, deinde ad Pasenaviensem, tandem ad Gnesnensem ecclesiam deducunt. Inde egressus cum suis venit ad castrum Tutzda, quod Polonorum et Pomeranorum confinia iungit. Comes ergo Paulitius, qui Ottoni a Bolislao datus, nuntios mittit, ut Ottoni in salutem hominum venienti cum suis occurrat et eius monitis obtemperet. Adest igitur Wartislaus I., Pomeraniae dux, equis quingentis et suscipit Ottonem in oppido Stargardia ac dat ei ductores, qui hospitia in suis ubique ditionibus curarent. Iuxta stagnum quoddam occurrentes ultro gratiam baptismi suscipiunt et primitiae Christi facti sunt. Altero die in pago proximo plures adiecit. Tertio die Pyritiam Otto veniens non statim ingressus est oppidum, sed apud sanctum fontem, quod nomen adhuc hodie fons ille retinet, commoratus est. Convenerant enim ibi circiter 4000 hominum ex omni provincia ad profanum festum lusu, luxu, cantu, vociferatione nimioque potu celebrandum. Otto vero oppidum postea ingrediens cum ibi quatuordecim diebus praedicasset, fidei colla submittunt septem millibus hominum, ut fertur, baptisatis. Seorsim tamen viri a feminis baptisabantur oppansis circa baptisterium, quod erat dolium terrae media parte impositum, velis, tanto spatio semoti, ut omnis scandali occasio vitari potuerit.

Ubi haec viginti diebus continuis acta essent et Otto diligenter populum de ecclesiae festis et sacramentis instituisset, oppidum Caminum, ubi sedes erat ducis, ingreditur et a ducissa Heila benigne excipitur. Quare ibi quatuordecim septimanis praedicationi et baptismatis collationi gaudenter operam dedit. Tres quoque fratres principes Ratiborum, Bogislaum et Svantepolcum simul baptisavit. Wartislaus enim, eorum frater, in Saxonia fuerat baptisatus. Venit interea in oppidum Caminum Wartislaus, qui post obitum patris Svantibori reversus fuit ad gentilismum, et salutatis hospitibus gratissimis sibi ab Ottone veniam dari cupit, quod non ubique ob ducatus non contemnenda negotia itineri adfuerit. Quod autem dux et primates diu simulaverant, detexerunt. Apud Saxones olim, aiunt, baptisati ut inter idololatras fidem servavimus, Christum vero, cui nomen dedimus, negleximus. Sed facta poenitentia mox ecclesiae reconciliati sunt.

Wartislaus I. ex civibus Caminensibus dat Ottoni ductores Domislaum (cdd. scr. Danislaum) cum filio, viros honestos, cum quibus per lacum navigio versus Iulinum profectus est. Cives autem nimium crudeles erant et impii erga Ottonem dicentes, se sine Stettinensium consilio nihil acturos esse. Quare Stettinum se confert Otto ac ibi tutum nactus locum ultra duos menses Christum concionatur, sed frustra; nam hi conditionem proponunt, se christianos fore, modo Polonorum rex promissa perpetua pace tributum allevaret. Tandem tamen hac conditione et spe eos perdomuit, ac baptisatis duobus filiis Domislai, qui magna erat auctoritate apud Wartislaum, multi etiam alii in dies baptisati sunt. Comminuenda quoque omnia profana et templa et simulacra censuit Otto. Accurrunt igitur alacres et omnia solo aequant. Erat Stettini mira magnitudine caballus pinguis, niger, ferox, nullum dignatus sessorem. Quem, cum praeda esset agenda vel pugna ineunda, sacerdos, equi custos, per hastas ordine distinctas et humi positas ducebat atque reducebat. Et si caballus nullam tangeret hastam, id signum victoriae esse credebatur. Hunc in christianam terram Otto misit, quod quadrigis quam prophetiis aptiorem arbitrabatur. Sacerdos profanus multa in Ottonem molitus tumore

ventris noctu crepuit. Hinc vidisses omnes utriusque sexus homines, et pueros et adultos, cum senibus properare ad fontem baptismatis eodem modo paratum, ut apud Pyricenses.

Otto per Oderam delapsus Iulinum revertitur. Ibi tum maiori veneratione receptus quam antea expulsus fuerat, et aliquot millia hominum baptisati sunt. Interim apud Bambergenses dissidium ortum est. Rogatur itaque Otto, ut propter non contemnenda pericula ad suos redeat et imminentia mala avertat. Sed antequam discessit, cunctos, quibus praedicaverat, prius visitare coepit et Adelbertum episcopum ecclesiis praefecit. Absente vero Ottone Stettinenses et Iulinenses a Christo deficiunt.

Otto re composita apud Bambergenses quarto anno post abitum, non tantum ut Stettinenses apostatas revocaret, verum etiam ut apud Usedomenses Christum annunciaret, in Pomeraniam revertitur. Sed ne gravius ducibus esset, per quorum regiones primum transierat, aliam viam suscipit in Pomeraniam. Primum enim Magdeburgum, inde ad episcopatum Havelbergensem proficiscitur, deinde perducitur Usedomiam, ubi convertit cives et delevit Borveit, hoc est Martem, et Gereveit, hoc est Mercurium. Postea venit Gutzkovium, ubi a legatis Alberti, Marchionis Brandenburgici, salutatus est. Baptisatus est etiam tum Comes Gutzkoviensis una cum liberis et aliis quam plurimis. Conversi sunt iterum ad Christum Stettinenses et Iulinenses apostatae. Post haec reversus est Otto Bambergam ibique mortuus a. Christi 1139.

Adelbertus[30]), qui primus episcopus fuit Iulinensis, obiit a. Christi 1160.

Conradus, secundus episcopus, sub quo episcopatus fuerat translatus Caminum, obiit a. 1185. Hunc successive secuti sunt Sifridus; Sigvinus; Conradus II.; Conradus III., Comes Gutzkoviensis; Wilhelmus, Dr. theologiae; Hermannus a Gleichen, obiit a. 1287; Petrus ordinis praedicatorum; Iaromarus, Princeps Rugiae, obiit a. 1305; Henricus; Conradus IV.; Wilhelmus ordinis praedicatorum; Fridericus, Dux Saxoniae; Iohannes, Dux Saxoniae, obiit a. 1373; Philippus a Rechberg; Iohannes Willichius; Hanneus; Iohannes, Dux Apuliae; Nicolaus Buck; Bogislaus, Dux Pomeraniae, postulatus; Magnus, Dux Saxoniae; Sifridus Stolpensis, obiit a. 1446; Ludovicus, Comes ab Eberstein, postulatus; Martinus Italus, qui aufugit ac Romae mortuus est; Benedictus Bohemus, Dr. theologiae; Martinus Carith Colbergensis, obiit a. 1522; Erasmus Manteufel, obiit a. 1554; Iohannes Bugenhagius, D. theologiae, electus ad episcopatum recusavit; Bartholomaeus Suavenius postulatus, (B. cum aliquot annis administrationi praefuisset, resignavit episcopatum atque in successorem quasi adoptavit Mart. W. et obiit a. 1562); Martinus Weger, obiit 1556; Iohannes Fridericus, Dux Pomeraniae, qui iam praeest episcopatui atque tricesimus secundus in numero. (B. Cui successit Ioh. Fr., illustrissimus Dux Pom., qui episcopatum quasi per manus tradidit fratri Casimiro, Duci Pomeraniae, a. 1575, qui adhuc nunc [in margine eadem manu adscriptus est a. 1582] praeest episcopatui, estque tricesimus tertius in numero.)

Horum autem temporibus feliciter propagata est religio, ad quam colendam multis impensis erexerunt monasteria in usum iuventutis instituendae scholarum loco, ac aedificarunt templa et collegia. Nam Ratiborus et Wartislaus fratres fundarunt sedem episcopalem in Iulino, sed eandem postea Casimirus transtulit in Caminum a. Christi 1175.

Ratiborus etiam fundavit monasterium Grobe in terra Usdom, ubi et sepultus est. Idem Ratiborus fundavit monasterium Cisterciensis ordinis prope Panum fluvium in eo loco, ubi Wartislaus frater occisus erat et sepultus a. Christi 1151.

---

[30]) Cf. Bug. Pom. lib. III; Kantz. Pom. et Val. ab Eichst. Epit. ann. p. 121; vid. praeterea de episcopis Camin. Klempin. Collect. diplom. p. 412 sqq., de monasteriis Pom. Steinbrueck. hist. mon. Pomer.

Wartislaus II., Dux Stettinensis, fundavit monasterium Colbatz a. Christi 1163. Is quoque verbi ministris salaria constituit, ut sonant sequentes versus:

Wartislaus erat primus, qui miles et hospes
Christi suscepit dogmata sancta pius.
Expulit ac stygio natum cacodaemone dogma,
Quod fingit varios numina multa deos.
Ipse sacerdotes passim verbique ministros
Constituit vitae subsidiumque dedit.

Bugislaus II. et Casimirus I. fratres fundarunt monasterium Belbock. Est autem Belbock nomen Wandalicum, quasi Bialbock, quod est albus deus.

Casimirus I. etiam fundavit monasterium Brede apud Brandenburgam et monasterium Ivenack apud Stavenhagen.

Anastasia, uxor Bugislai II., fundavit Treptovii monasterium virginum (B. coenobium.)

Subislaus, Princeps Cassubiae et Wandaliae, fundavit a. 1170 monasterium Olivae, quod milliare a Dantisco distat; Samborus autem, eius filius, donavit huic monasterio pagos septem.

Iaromarus, Princeps Rugiae, fundavit a. Christi 1193 monasterium Bergen et a. 1199 monasterium Eldenow.

Svantepolcus III. fundavit monasterium Bukow a. 1232.

Dubislaus, Princeps Rugiae, fundasse dicitur monasterium Camp a. 1241.

Barnimus I. fundavit ante Stettinum monasterium virginum a. 1261; idem donavit a. 1277 Colbergam episcopatui Caminensi. Fecit et Stettini a. 1278 ex monasterio collegiatam ecclesiam Divae Mariae virgini sacram. Fundavit etiam Stettini templum Divi Ottonis. De cuius Barnimi fortitudine, pietate et liberalitate sunt hi versus:

Magnus erat factis, nulli virtute secundus,
Contudit et hostes impiger ille suos;
Saepe triumphantem vidit Pomeranica tellus,
Hostibus eripuit Martia signa suis.
Nec minor huic inerat pietas studiumque colendi
Res sacras, verae religionis iter.
